HISTORIA POETICA

AD FACILIOREM

POETARUM

ET

VETERUM AUCTORUM

INTELLIGENTIAM

A. R. Patre, P. Gautruche, Societatis JESU Gallicè conſcripta.

POST SEPTIMAM EDITIONEM

Latinè reddita ab Uno ejuſdem Societatis.

In gratiam Pôëtices Candidatorum.

Typis Collegii & Acad: Vilnenſis Soc: JESU, Anno Domini 1732.

PRÆFATIO
DE DEORUM, QUOS ETHNICI COLUERUNT,
ORIGINE ET IDOLOLATRIA.

SIcut Solem in mundo existere dubitari nullo modo potest, quod & radiorum, quos quaquà versùm evibrat, fulgore, & innumerabilium effectuum, quos in hac rerum universitate reproducit, irrefragabili testimonio, se ipsum manifestè exhibeat: ita de unius DEI, veri animorum Solis, existentia quis ambigat, qui clarissima tot argumentorum luce se prodit, ut neminem latere possit, qui se judicio uti, sensibusquè fateatur.

Res creatæ, omnes, quotquot vastissimo mundi hujus ambitu continentur, & quem in iis tum ordinem, tum pulchritudinem demiramur, sunt totidem veluti tersissima specula, in quibus bonitatem, sapientiam, potentiam, & reliquas magni illius Opificis excellentias & perfectiones clarissimè liceat intueri. Quod ne

longè petita inductione palam fieri sit opus à nobis non discedemus. Partes omnes & organa, ex quibus admirabilis illa humani corporis structura componitur, propter inclinationem, singulis à natura insitam, quâ ad Deum bonorum omnium auctorem & conservatorem confugimus, sunt voces totidem & lingvæ, quæ cum sine intermissione laudantes, ejusdem mirabilia vocali nobis silentio deprædicant.

Quidam nihilominus flagitiosi, homines ad omnem vitæ licentiam projecti, & indomitis cupiditatibus obsequentes, eò insaniæ devenerunt, ut totâ licet naturâ reclamante, ad tanti momenti veritatem oculos occluserint, & plena in luce caligantes, cultum soli Creatori debitum, ad res creatas traduxerint, nullum pene amplius, Numen agnoscentes, quam iis in rebus, quas vel oculis, vel aliis sensibus perciperent.

Hinc factum est, ut primo solem, Lunam, aliaque sidera in Deorum numerum transtulerint, ea scilicet pulchritudine splendore ac luce perstricti, quâ præstantissima illa corpora cæteris eminere mirabantur. Exinde invaluit error in dies, & quidquid lucis circa Numinis agnitionem supererat, paulatim extinctum est, ut non modò Jovem aliquem, aliaque id genus Numina: quæ diversis mundi partibus moderarentur, confinxerint; sed ipsis simulacris, ligneis licet & lapideis, Sacrificia obtulerint: quod à Prophetis sæpiùs exprobratum in variis S. Scripturæ locis legimus.

Nixus,

Ninus, ut quidam voluit primus Assyriorum Monarcha, qui Patri Belo statuam venerationemq; divinam addixerat, ad quam omnes ejus subditi tanquam ad Numen confugiebant, primus hujus auctor impietatis fuisse memoratur. Ex eo enim tempore singulæ Nationes iis hominibus, quos dignitas eminentior supra cæteros evexerat, quales erant Reges & Imperatores, eundem cultum detulerunt, quantumvis forent sceleribus infames & execrandi. Sic afficta Regi Saturno divinitas, ejusq; statua supremis culta honoribus, quamvis nota esset impia crudelitas, quam in Patrem suum exercuerat. Eâdem infamia Jupiter Deus creditus est, & Deorum parens appellatus, qui aliâs sub ætatem Abrahami Patriarchæ Cretensium Rex fuerat. Ita Pluto & Neptunus Jovis fratres, ita Apollo, Mars, Minerva, atq; ex liberis ejus alii, Deorum more, sua templa, aras & Sacrificia habuère. Neq; hic stetit profana superstitio, sed eò tandem progressa est, ut nihil ex omnibus in mundo amplius reperiretur, sive animatum esset, sive inanimatum, ne exclusis quidem ab hac insania ventis fluminibus, montibus, cui hoc augustum nomen Divinitatis non atribueretur; ut brutas animantes taceam, quárum nè spurcissimæ quidem & immundissimæ excludebantur. Quin & ipsas usque adeò cæpas, & allia suis in hortis crescentia adorabant Ægyptii, tantumq; Felibus, Aspidibus, & Crocodilis honorem deferebant, ut ejusmodi vel tantillum nocere, crederent

derent grande nefas & morte piandum. In cujus argumentum sit illud, quod Diodorus Siculus suis refert se oculis usurpasse, è Romanis quempiam, quòd Felem occidisset, quamvis casu, tanta subitò irruentis plebis rabie undiq; cinctum, obrutumq; fuisse, ut nequidquam interposita Regis, Principumq; auctoritate, momento temporis in frusta discerptus sit.

Serpentes passim, sed maximè Epidauri, Græciæ Civitate, adorabantur; & unum semper vivum asservabant, qui suæ urbis protector esset & defensor. Quid Romanos referam, qui licet & in re militari, & temperata sanctissimis legibus Rep: sapientia prudentiâq; supra cæteras nationes eminerent, in hoc tamen uno sic cæci desipuêre ut in suum Pantheon omnia reliquorum populorum Numina, undequaque collecta congesserint: & ut cætera taceam teste Plinio & Valerio Maximo, ingentem Colubrum, qui Deus Æsculapius esse putabatur, Epidauro petitum, in Urbem induci voluerint: qui cùm postea tantam serpentum copiam genuisset, ut eorum peste tota latè Regio cum magna incolarum pernicie, affaretur, eos flammis consumere oportuerit.

Mitto dicere de statuis & simulacris, sive ex ligno & lapide, sive ex vario genere mettalorum, quæ totidem erant Numina, quæ pro suo quisq; ingenio sibi fabricabat: quemadmodum in DEO Priapo evenit, quem artifex quispiam casu produxit, ex parte ligni, unde scamnum alioqui se formaturum animo designaverat,

verat, & in eum finem adaptabat, ut Horatius sub initium Satyræ octavæ libro primo commemorat,

Has insanias, cæteraquè id genus superstitionum monstra, maxima ex parte Græci commenti sunt, undè poëmatum suorum argumenta ut plurimùm mutuabantur, quæ deindé successu temporum in alias Nationes omnes disseminata totum facile orbem infecerunt.

Horum omnium succinctam compendiosamque Historiam, ut ordini & perspicuitati consulatur, in tres libros dividemus. Et primo quidem de Dijs præcipuis & majoribus, ut vocant, qui Ethnicorum istorum fide & existimatione primo loco habebantur, differemus.

In secundo, horum res gestæ tractabuntur quos Semi-Deos apellabant. Et in tertio de religionibus, & cæremonijs in eorum honorem institutis agemus. Et sic in unum corpus continenti rerum ordine, & cætera connexione omnia illa fabularum fragmenta colligemus, quæ non nisi per partes hinc & indè per Dictionaria & opera Poëtarum sparsim inveniuntur, quo expeditiùs jucundiùsque earum studium Juventuti faciamus.

Ex hac Historia obvium erit singulis cognoscere, primò; quàm densa errorum caligine omnes terræ Nationes obvolutæ, per tot sæcula cæcutierint; quam horrenda item fuerit illa Dæmonum servitus, quam implicati extra spem salutis tenebantur, cùm veri DEI agnitio totius nostræ felicitatis primum sit, atque uni-

unicum principium. Secundò quanta Crucis virtus fuerit, quanta Evangelij D. N. JESU CHRISTI potentia, quod Idololatriam everterit, funditusq; extinxerit, quæ tam inveteratâ consvetudine altissimas in omnium animis ubiq; locorum egerat radices, & tota Monarcharum, Principumq; omnium potentia sustentabatur. Deniq; quanto beneficio, nos sibi Servator noster JESUS CHRISTUS devinxerit, quòd sua nos luce collustratos, de tantis tenebris eduxerit, unius veri DEI, unicè adorandi veritatem nobis manifestaverit, ejusdem miserationes, amoremq; promeruerit, & patefacta omnibus ad cælum viâ media sufficientia: rationesq; illuc certò perveniendi, liberalissimè obtulerit.

Atq; hac ratione optimè congruet hæc Historia, cum Historia sancta, quam huic præmisimus, in qua ordo chronologicus à me accurate observatus facilè traducetur.

HISTORIA POETICA

Ad faciliorem Pöetarum & veterum auctorum intelligentiam.

LIBER PRIMUS.

De Dijs Majoribus Ethnicorum.

CAPUT PRIMUM.

Historia Saturni.

DEORUM antiquissimus, ut Pöetæ fabulantur, Cælum fuit. inter alios, quos suscepit liberos, Tempus peperisse dicitur, quem Saturnum vocavêre, qui per summam impietatem Patri [redacted] in mare projecit, ex quibus subinde undarum fluctibus agitatis, accedente etiam spuma, Deam Venerem progenitam esse quidam putavêre.

Saturno natu grandior frater Titanus fuit, ad quem hoc nomine in regnum successio pertinebat; hoc tamen jus suum fratri ultrô concessit, ut tum matris Vestæ, tum etiam Cybeles sororis suæ voluntati genioquè obsecundaret; ea tamen lege, ut Saturnus nullam prolem masculam educaret, & mundi imperium ad suos revolveretur.

Consveverat propterea Saturnus quoscunquè suscipiebat masculos, ut primùm lucem aspexerant, devorare, Cybele tamen, editis in lucem uno partu Jove & Junone, hanc solam ei ostendit; Jovem autem Curetibus quos Coribantas vocant, clam patre educandũ tradidit. Hi, ne fraus in lucem erũperet, nec suis infans vagitibus clamoribusq́; proderetur, novum ludi genus excogitârunt, quo certis mensuris, legibusquè incedebant, undè Dactyli Idæi vocabantur, quôd certos illos gradiendi modos, Dactylos appellarent, atq́; ita parmulis instructi mutuó concurrrtes, certis spatijs numerisque sese vicissim impetebant, quo concursantium strepitu effecêre, ne Jovis vagientis voces ad aures Saturni pervenirent.

Alijs postea prolibus auctus est, Plutone scilicet & Neptuno, quos itidem Mater Patris gulæ subductos clanculum nutriri voluit; cumquè aliquando quid in lucem protulisset marito urgenti ostendere cogeretur, lapidem ostendit, quem è vestigio devoravit. Sed Titanus comperta fraude, videns occultis machinationibus, sibi obstacula ob-

ijci, quo minus in Regnum ex pactis jurejurando firmatis succederet, vocatis in belli societatem filiis suis Titanibus arma in Saturnum sustulit, & victum cum Cybele conjuge in carcerem compegit, quo tamdiu detenti sunt, donec Jupiter ætate jam robustus eos inde liberavit. Sed cùm Saturnus comperìsset, ab uno se filiorum è solio deturbandum, Jovi sibi suspecto struxit insidias, sed fatales sibi. Nam Jupiter hoc facinore irritatus, arma in illum capessivit, belloquè tam felici prosecutus est, ut Regno exutum cœlo cedere compulerit. In terram igitur migravit, latuitquê in Italia, quæ inde nomen *Latium* accepit. Hic à Jano illius Regionis Rege perhumaniter acceptus, in terras, ut fama est, auream illam ætatem toties celebratam attulit, cùm tellus nullius labore culta, bona omnia uberrimè proferebat. Et *Astræa*, alio nomine *Justitia* nuncupata hic regnaret, hominibus æquo, pariq; Jure viventibus, & perfecta vitæ societate amicitiaq; conjunctis. Hic Janus in numerum Deorum illatus est, tum ob beneficia in Saturnum collata, tum quòd omnium ejus ætatis Principum sapientissimus esset, & rarâ præteritorum, futurorumquè scientiâ celebris haberetur. Quam ob causam biceps depingitur. Numa Pompilius Romanorum Rex templum ejus honori exstruxit, quod belli tempore patebat semper, & non nisi pacis tempore claudebatur.

CAPUT II.

Historia Cybeles.

CYBELE Saturni uxor variis nominibus vocata fuit; nam & *Dyndimena & Berecyntha*, & Magna Maater dicebatur; sive quod Deorum Parens, seu quòd Telluris, unde tam diversa producuntur, Dea habetur, ut capite 12. sub initium referemus: eandem ob causam *Ops* à latinis, & à Græcis *Rhea* appellabatur.

Curru à leonibus tracto vehebatur. Ludi solennes, Magalenses dicti, quarto quoquè mense in ejus honorem celebrabantur, in quibus Corybantes ejusdem Flamines sacro correpti furore, inter confusos, cymbalorum, tubarum, aliorumq; instrumentorum strepitus quasi furiis agitati discursabant. Idem à Gallis Phrygiæ populis servabatur, qui capitis jactatione & totius agitatione corporis in rabiem agitabantur; dein lymphatorum more digladiãtes mutuis se vulneribus conscindebant, & tandem fientes ad fluvium aliquem eidem Deæ sacrum, vulnera lavaturi properabant.

Cybele etiam quandoquè Vestæ nomen tribuitur: sed in hoc Pöetæ pro solemni suo sibi contradicunt. Vestam mox Saturni conjugem, mox Matrem, mox sororem, mox etiam filiam nominantes; atquè eidem personæ, quæ pluribus conveniunt tribuentes; quemadmodum etiam cùm de Jove,

Hercule, aliisq; meminerunt. Ut ut ſit, Cybele cùm Veſta dicitur, eſt Dea ignis præſes, quam Numa Pompilius variis cæremoniis apud Romanos honoravit. Nam & ignem conſecravit, quem æternum appellabant, quòd in altari, ejus honori ſacro, eum perpetuo ardere voluiſſet. Ideoquê virgines Sacerdotum munere functuras inſtituit, quæ Veſtales dicebantur, in quas ſeverè animadvertebatur, ſi earum negligentiâ ſacer ignis reſtingveretur; qui quidem non niſi ſolaribus radiis rurſum accendi debebat. Hæ Veſtales è familiis Romæ nobilioribus ſeligebantur perpetuam virginitatem ſervare jubebantur, ſi quæ contra hanc legem deliquiſſet, viva ſepeliebatur.

CAPUT III.

Hiſtoria Jovis.

JUpiter Saturni & Cybeles filius, patres in fugam acto mundi imperium ſuos inter fratres partitus, Neptuno aquarum, & Plutoni Inferorum imperium permiſit, ſibi verò cœlum vindicavit, Rex hominum dictus fuit & Deorum Parens, ſolus jacere fulmina, & reliquo orbi ſumma cum poteſtate moderatus. Tellus tamen ab eo Titanas fulmine percuſſos indignata, horrenda monſtra enormis magnitudinis produxit, â quibus oppugnatus inde pelleretur. In hunc finem in Phlegræis agris, Theſſaliæ collecti, alios atq; alios montes ſuperingerunt, quibus ve-

luti scalis cœlum oppugnant, & rupibus alijsque validis machinis impetunt. Inter alios nominantur Enceladus, Briareus, & Egron Centimanus, qui centum simul Saxa immania in Jovem jaculabatur. Sed inter omnes insignis fuit Typhœus quidam, qui & mole corporis & virium robore omnia ista monstra facilè superabat: parte altera hominem, serpentem altera referebat, ùt aliorum plerique, ignes ore flammasquè terribilem in modum evomēs. Dij, qui suppetias Jovi allaturi venerant, territi, in Ægyptum se fugâ abripientes sub variis animantium formis latuêre. Solus Jupiter tanta vi se eorum furori opposuit, fulmina in eos intorquendo, ut tandem superior & victor, omnem illam Gygantum gentem funditùs aboleverit, raptosque ad stigem in vinculis tenuerit, altissimis montibus, ut Ætnâ, alisquê superinjectis, ut nullus ijs resurgendi locus relinqueretur. Intereâ dum hæc geruntur, Prometheus primus homines ex luto & aqua formavit, & ablato è cœlis igne animavit. Quo iratus Jupiter, jussit eum à Vulcano in monte Caucaso catenis ferreis alligari, voluitquè ut aquila, vel vultur partem ipsi jecoris in dies singulos depasceretur, nocte in sequenti semper renascentem, ne novis quotidie cruciatibus, nova unquam deesset materia; quo in statu tamdiu miser relictus est, donec invictâ Herculis fortitudine in libertatem assertus est.

Sed

Sed Jupiter hac punitione non contentus Pandoram ipsi opposuit, mulierem illam admirabilem, Deorum voluntate à Vulcano fabricatam, in quam singuli singulas dotes raraque decora contulerant. Hæc à Jove subornata Epimetheum Promethei fratrem convenit, obtulitquè pyxidem omni malorum genere refertam, quâ ab ipso incautè apertâ, pestes omnes in humanum genus latè diffusæ sunt, sola spe in fundo latente.

Jupiter omni jam hostium metu liberatus ad suis fruendum voluptatibus se convertit, laxatâ ad probrosissima quæquê, maximequè infamia, libidine. Ut enim nihil dicam de incestuoso cum Junone sorore cõcubitu, quã in uxorem accepit; ut taceam Ganymedem Trois Trojanorum Regis filium, quem ipse Aquilam mentitus rapuit; quid commisit turpitudinum, ut pudendam adeô libidinem satiaret? ut cùm Tauri formam induit, ut Europam abriperet Agenoris Phœniciæ Regis filiam: à qua pars orbis nobilissima nomen accepit. Ità quidquid diligentiæ adhibuit Argorum Rex Acrisius, Danaen filiam in turri ænea includendo, Jovis tamen insidias, eludere non potuit, qui in imbrem aureum transformatus, per turris fastigium sibi aditum patefecit, modumq; invenit cupiditatem explendi, unde natus Perseus, de quo suus erit postea dicendi locus.

Longum foret cæteras ejus obscænitates pro-

profligatasq; libidines enarrare: in ipso historiæ contextu locus erit nonnulla attingendi. Hoc tantùm dicam cum Tertulliano, mirum non fuisse homines videre omni spurcitiarum genere abominãdam duxisse vitam, cùm Deos colerent, quorum exemplum, & incurrendæ eorum offensionis metu, eò trahebantur.

CAPUT IV.

De Junone ejusq; liberis.

JUNO Deorum Regina, & Regnorum ac divitiarum Dea vocata est, quòd Jovis uxor esset Nuptiis eadem, partubusquê præfecta, hoc nomine in variis templis ac aris ipsi consecratis colebatur. Heben juventutis Deam peperit, cui tantam apud Jovem gratiam conciliavit, ut ejus mensæ ministraret, & nectar ipsi propinandum infunderet, donec in ejus locum Ganymedes, de quo supra, surrogatus est. Genuit & Vulcanum, sed vix natum Jupiter, ejus deformitatem detestatus, pede è summo cœlo præcipitem egit, qui in terram prolapsus tibiam fregit, unde perpetuò claudicavit. Idem grandior factus ad fabrilem artem animum adjecit; operâ Diis elocatâ, sed maxime Jovi, cui fulmina procudebat. Officinas habuit, non modò in Insulis Lemno & Lyparâ, sed etiam in monte Ætnâ. Famulis ute-

batur

batur Cyclopibus, quos ita nominabant, quòd unum tantùm oculum in media fronte haberent; quorum nominatiſſimi fuère Brontes, Steropes & Pyracmon.

Sed ut ad Junonem redeamus, narrant, Poëtæ eam â Jove averſionem concepiſſe, quòd ex eo ſibi offenſum putaret, quia ſine ejus operâ Deam Palladem aliàs Minervam ſolus progignere voluerat. Hæc ex ejus cerebro toto cataphracta corpore, lanceam manu prætendens, exſiliit pyrrhicham ſaltando, quod ſaltationis genus militarium hominum proprium, â Pyrrho Achilis filio inventum, ad numeros carminis illius agebatur, quod *Hyporchematicum* appellabant. Propterea Dea bellorum, præliorumq; præſes habita eſt, licet variarum artium atque ſcientiarum, quæ pacis ornamenta ſunt, ipſi inventio tribuatur; quam Athenienſes ſingulari cultu proſecuti ſunt, feſtis diebus ejus honori conſecratis cujuſmodi erant Panathenæa, quæ cum variis gratisquè ſpectaculis celebrabantur. Juno autem Jovi propter Palladem offenſa, parere etiam ipſa ſine viri commercio voluit; quod & perfecit, ut teſtatur Ovidius floris alicujus contactu, quem Dea Flora ipſi deſignaverat, unde Martem peperit, qui belli & exercituum, æquè ac Pallas DEUS fuit.

Famulum habuit Argum, nomine, cujus operâ ad obſervandas Jovis actiones utebatur, erat enim undiq; oculis plenus, quorum alte-

alterâ parte sopitâ somno, altera vigilabat. Hunc tamen Argum Jovis imperio Mercurius fistulæ cantu consopitum interfecit; quem Juno, in fidei in explorando præstitæ, præmium, in pulchrum pavonem, convertit qui multicolore plumarum syrmate, oculorum, quos ante habuerat multitudinem adhuc repræsentat.

CAPUT V.

Historia Apollinis & Solis.

JUPITER Junonem pertæsus, amores suos in Latonam transtulit, cum qua congrediebatur sæpè, multaquê benevolentiæ significatione loquebatur. Unde Juno tantâ Zelotypiâ & æmulatione exarsit, ut Pythonem stupendæ magnitudinis serpentem ex varia, putriq; materia post Deucalionis diluvium, de quo infrà, productum in eam immiserit. Et ne Latona monstri istius rictum effugere posset, Tellus appromisit, nullum alium locum se fugituræ permissurum, quàm Delon Insulam quæ tunc aquis latê depressa per Oceanum huc & illuc passim ferebatur, sed Neptuni Latonæ faventis beneficio supernatavit, ut misera profuga jam vicina partui securum ibi domicilium, ubi extra periculum lateret, nancisceretur. Ita illuc appulsa Dianam & Apollinem in palma casû reperta in lucem edidit. Cûm Apollo adolevisset matris injurias à Pythone Serpen-

te

te acceptas ulturus, sagittis eum confixit, non tamen sine conflictu, quo durante, voces ingeminantium *Io Pæan* exaudiebantur, undè manavit consvetudo eas in ludis publicis, victoriis, & triumphis celebrandi.

Hoc facinore perfunctus, filium suscepit nomine Æsculapium, quem Chironi Centauro educandum & medicinæ præceptis informandum tradidit, cujus postea Deus creditus est. Hic Jovis fulmine ictus periit, quòd miserum Hyppolitum, à propriis raptatum & discerptum equis, cùm patris iram declinaret, ut in Thesei historia videbimus, vitæ restituisset: Mors Æsculapii Apollinem plurimum aflixit: ulturus injuriam, cùm in Jovem nil posset, Cyclopes interfecit, qui fulmen conflaverant, quo percussus interierat. Sed Jupiter gravissime irritatus, eum è cœlo proscripsit, & ad tempus divinitate privavit.

Exul ergo, & omni divinitatis jure exutus, extremis miseriis, & rerum omnium inopiâ sic conflictari cœpit, ut vivendi conditionem quærere coactus, operam suam in pascendo grege Admetio Thesaliæ Regi obtulerit, quæ causa fuit, cur Pastorum Deus habitus fuerit, eiquè lupus, ovium inimicus, hoc nomine in sacrificium offerretur. Boves die quadam pascenti unum Mercurius eripuit; & injuriam quærenti, pœnasq; reposcenti, pharetram ab humeris etiam abstulit; ita ut omnis inter eos controversia in risum reciderit. Tan-

Tanta calamitas Apollinem impedire non potuit, quô minus insano Daphnes alicujus amore caperetur; quæ persequentem, procantis amores adversata, fugiens in laurum mutata est. Neq; hic stetit miseri infelicitas; cùm enim aliquando cum charissimo sibi adolescentulo Hyacintho disco luderet, eum imprudens interfecit; unde natus flos Hyacinthus, in quem à Tellure casui tam funesto indolente, conversus est. Sed neq; hic finis miseriarum fuit: nam Apollo timens eos, qui in morte Hyacinthi læsos se putabant, Trojam versus profugit, ubi cum Neptuno congressus est, qui Jovis etiam gratiâ exciderat. Placuit utriquè cùm ad extremam se calamitatem redactos cernerent Laomedonti Regi, in ædificanda civitate, quam moliebatur, operam suam addicere. Sed promissa mercede frustrati injuriam ulcisci decreverunt. Quare prope abfuit, ut Rex cum universo populo immissis à Neptuno undis obrueretur; Apollo autem lucem adeo pestilentem immisit, ut ingenti hominum strage omnia popularetur.

Laomedon tot malis appetitus, qua ratione mederi posset, Oraculum consuluit, à quo responsum accepit, unicum iratos Deos placandi medium esse, si in marinis urpibus Trojanam Virginem ab æquoreis monstris devorandam quot annis exponeret. Contigit igitur miserando fato, ut sors in Hesionem Regis filiam caderet. Sed Hercu-

les

les ad ea monſtra oppugnanda, eamq́; liberandam ea lege ſe obtulit, ut quos Laomedon equo divino prognatos ſemine aſſervabat, eos mercedis loco acciperet.

Sed tamen à perfido impetrare non potuit, licet periculo Heſionem exemiſſet. Cujus rei indignitate commotus, in Civitatem ferro flammaquè deſævire cõſtituit. Laomedontem interemit, ejusquè filium in captivitatem abduxit, qui deinde à Trojanis præſentato lytro redemptus, nomen inde Priami ſortitus eſt, ut ſequenti libro narrabitur.

His periculis feliciter perfunctus Apollo, & Divinitatis dignitati reſtitutus, inter Deos brevi tempore facilè celeberrimus evaſit, non modò propter varia, quæ in aliis atquè aliis terræ Regionibus edebat oracula; ſed etiam ob diverſas functiones & munera ipſi atributa, tum deniq́; ob Heroes illuſtriſſimos quorum parens fuit.

Et primò quidem Sol habebatur, quo ſub titulo Phœbi nomen uſurpabat, quæ vox lumen viventium ſignificat. Non deſunt tamen qui aliter ſentiunt, & ſolem dicant Hyperionis unius ex Titanibus eſſe filium, unde & Titan dicitur, eumquè curru vehi aſſerant. Addunt eum ſub veſperam in Oceanum invehi ubi uſquè ad ſequentis diei auroram cõquieſcit quæ ubi primum illuxit, Horæ accedunt equos ad currum juncturæ.

Inſulam Rhodum præ cæteris adamâſſe

visus est; & reverâ, Solino teste, nullus anni dies adeo nubilus est in illa regione, quem Sol serena facie non illustret. In hac Insula nata ipsi filia Rhodia cujus natalem diem aureo imbre, magnâque rosarum subitò efflorescentium copiâ celebrem facere voluit. Nec ingrati Rhodii famosum illum ex ære Colossum in ejus honorem excitârunt, qui centum & ampliùs pedum altitudine eminebat, crassitie altitudinem justa proportione adæquante. Hoc orbis prodigium à Saracenis eversum est, qui ad annum Christi 684. potiti Insulâ, comminuerunt in frusta, unde tantum æris avexêre, quantum nongentis camelis onerandis suffecit, ut Historici memoriæ prodiderunt.

Quod autem ad loca attinet, ubi Apollo sua reddebat oracula, Delphus præcipuè memoratur; ibi templum visebatur, operis elegantiâ magnificentissimum, innumeris locupletatum donariis, quæ undiquè mittebantur. Sacris in templo illo fungebatur sercerdos, Phœbas dicta, vel Pythia, & Pythonissa, quæ parvæ mensæ tripedali insidens, Divino entheata Numine Enthusiasmum ab Apolline accipiebat. Hæc mensa *Trypus* nominabatur, & *Cortina*, quôd Pythonis Serpentis exuviis contegeretur.

Musicæ inventio huic etiam DEO tribuitur, qui & Marsiæ Satyro cutem vivo detraxit, quôd cum ipso de palma canendo decertandi avidus eum provocare non debuis-

buiſſet. Muſas Jovis & Mnemoſynes filias inſtruendas accepit. Novem erant, nimirum Caliope, Clio, Erato, Thalia, Melpomene, Therpſichore, Euterpe, Polyhymnia, & Urania. Varia à variis locis, ubi morari conſveverant, nomina ſortitæ ſunt: nam modo Pierides dicebantur, à nemore Pieride, in Macedonia ſito, ubi primùm lucem aſpexerant: modò Heliconiades ab Helicone, qui mons eſt proximus Parnaſſo, loco ipſis præ reliquis gratiſſimo, undè Parnaſſides dictæ, & Cytherides à monte Cytherone; denique Caſtalides vel Aganippides, à fontibus ejuſdem nominis earum honori conſecratis.

His Muſis uti & Apollini tum Pöëſeos, tum etiam Muſicæ debetur inventio, Eorum porrò erat officium ſacris conviviis intereſſe, ubi Heroum res geſtas cantu celebrabant, ut alios ad illuſtria ejuſmodi facinora excitarent. Caſtitatis laude celebrabantur, & Adonidem Veneris delicias interfecere, quòd aliquam amoris impudici flammam iis afflaviſſet.

Reliquum eſt, ut de prolibus Apollinis ſive Solis aliqua dicamus, inter quos præter Rhodiam cujus ſupra meminimus, fuit Æetha Medeæ pater, Rex Colchidis, cui Phryxus Athamanti Thebarum Regis filius, cùm novercæ inſidias cum ſorore fugeret, de quo poſtea erit loquendi locus, vellus aureum donavit. Suſcepit ſubinde Paſiphäën,

quæ

quæ Minoi Cretensium Regi nuptui tradita, infami amore Tauri exarsit, unde Minotaurum suscepit, cujus historiam alibi exequemur. Deniquè Phäëtonem, qui juvenili ambitione excæcatus, Solis parentis currum regere, & mundo vel unam saltem diem facere petivit, & obtinuit. Sed viarum ignarus quæ per cœli orbitam debent observari eoq; robore destitutus, quod par esset ad equos illos alatos, qui impetu vehementi ferebantur, regendos, cœlos pariter, mundumq; universum flammis accendit; quo facinore iratus Jupiter, eum vibrato fulmine interemit, egitq; in Eridanum præcipitem; ubi Heliades ejus sorores, fratri parentantes in Alnos, vel ut alii in Populos, earum autem lachrymas in electrum conversas esse Pôëtæ fabulantur.

Non multò post hoc incendium tempore, casus contigit priori contrarius, cùm Deucalion Promethei filius, Regnum Thessaliæ obtineret: tunc enim aquas sic inundâsse referunt, ut fluctibus altè sepulta animalia omnia interierint solus Deucalion cũ Pyrrha Conjuge furenti elemẽto in monte Parnasso se subducere potuit. Cùm autẽ se viderent solos, Deos rogârunt, vel ut ipsi vitâ privarẽtur, vel certè homines alios sibi vitæ socios procrearẽt. Precibus annuerũt superi: nam à Themide Deajustitiæ responsum acceperũt, voti sui fore compotes, si Magnæ Matris suæ ossa post terga jacerent. Ipsi ergo Tellurem

Magnam

Magnam illam esse Matrem, ejus autem lapides ossium nomine vocatos esse rectè judicantes, oraculo paruerunt. Quotquot ergò à tergo lapides Deucalion jaciebat, in viros totidem, qui verò à Pyrrha proijciebantur, in fœminas repente mutabantur à quibus deinde humanum genus in hanc usquè ætatem rursus propagatum est. Hoc pereuntis orbis diluvium, quodque Ogygis Thebanorum Regis tempore contigit, eorum sunt nominatissiima, quæ à Pöëtis memorantur.

CAPUT VI.

Historia Dianæ.

DIANÆ Apollinis sorori, tria communiter à Pöëtis nomina tribuuntur, sive ob diversa munia, quibus persungi creditur; sive quòd tria Numina, quòd passim faciunt in unum ab illis confundantur. Ut ut se res habeat, triplex, sive triceps. Hecate nuncupatur, eadem & in cœlis Luna, & Diana in terris, & apud inferos Proserpina

Primùm ergò sciendum est, Dianam, cùm Luna dicitur, varijs prætereà nominibus insigniri. Nam & Phœbe dicitur à Phœbo fratre, à quo lucem mutuatur; vel Cynthia aut Delia, à loco, ubi eam natam esse credidit antiquitas. Endymionem pastorem adamavit, quem Jupiter perpetuò sopore damnaverat, quod suspectam haberet nimiam ejus cum Junone familiaritatem. Sed Ama-

sius suum in montem transtulit, ubi tutus delitesceret. Porrò huic fabulæ occasionem dedisse videtur Endymion, qui quòd totus esset in motibus Lunæ contemplandis, integras noctes in locis à turba remotis ad hoc studium exigebat. Magi Thessaliæ tantam carminibus suis vim inesse jactitabant, ut Lunam ex cœlis in terram excire canendo se posse crederent; indeq; huc eam animi causa descendere existimabant, quoties Ecclypsim patiebatur.

Secundò Dianam in terris dictam fuisse memini, quo nomine Sylvarum, Montium, & venatorum Dea esse fingebatur; quæ causa fuit, cur Pharetrâ & sagittis armata depingatur, numeroso sexaginta Nympharum comitatu stipata, quæ ab ejus latere nūquam recedebant. Partubus adesse credita est, & hoc titulo Lucinam nominabant. Castitatis cultrix fuit perpetua, nec unquam pudori suo ullam inuri notam turpidinis passa est, Specimen hujus edidit, cùm Actæonis venatoris imprudentiam severè ulcisci voluit, à quo, dum se cûm sociabus lavaret, se nudam cospectam esse indignabatur. Postquam enim suam ei impudentiam gravissimè exprobrâsset, eum in Cervum convertit, qui à proprijs canibus pro fera habitus miser discerptus interiit. Templum Ephesi inter orbis miracula numeratum habuit, quod Herostratus, subjectis flammis evertit, ut vel hoc facinore cûm alio non posset, nomini immor-

immortalitatem consequeretur. Nec tamen sic voto potitus est: Ephesij enim edixerunt, ne quis vel ejus nomen pronuntiaret, latâ in secus facientes capitis sententiâ. Tanti ædificij conflagratio eo die accidisse dicitur, quo Alexander Magnus in lucem prodijt. Reperti sunt populi inter Sarmatas Ponti Euxini accolæ, quos Tauros vocant, qui non nisi homines Dianæ immolabant, & quotquot ex Græcia aut aliis exteris Regionibus naufragium passi, aut tempestate acti in oras illas pellebantur, ad ejus aras jugulabantur; ut in Orestis Historia pluribus memoratur.

Postremò dicitur hæc triceps Dea apud Inferos Proserpina; malunt tamen alij Proserpinam Jovis & Cereris filiam, quam in Ætna Siciliæ monte flores legentem Plutus vi rapuit. Unde factum est, ut Ceres amissam toto requirens orbe, colendorum agrorum rationem mortales docuerit, usu glandium in panem abeunte: ideò & frumentorum, frugumq; Dea existimata est.

CAPUT VII.

Historia Bacchi.

THEBÆ civitas Græciæ, Bacho, Jouis & Semeles filio natalis fuit. Hunc mater dum gestaret utero, Junonis, concubinas mariti quoquo modo posset persequentis, odio doloque interiit. Rem narro: Juno, anum

vultu totoq; corporis habitu ementita, Semelem convenit, persvasitq; ut erat subdola, plurimum ipsius ad honorem interesse, si à Jove hoc gratiæ loco peteret, se ut fulmen manu contorquens inviseret, quomodo secum eum solere congredi mentiebatur. Quod cûm impetrâsset, fulmine tacta in cineres abijt, quod unum Juno intenderat. Sed Jupiter fœtum oportunè sublatum in femur suum insuit, inde jam luci maturus in auras prodijt. Ita officio matris in Bacchum perfunctus occasionem dedit eum *Bimatrem* nominandi: multa præterea nomina habuit, ut Dionisij, Liberi, Bromij, Lyæi, aliaq;. Sileno & Nymphis educandus traditus, quas in præmium institutionis Jupiter in cœlum translatas in stellas convertit quæ Hyades appellantur.

Bacchus peregrinãdi cupidus omnes prope orbis Regiones peragravit: Indos oppugnavit, vicitque, ubi & Nysam Civitatem condidit. Pompa triumphalis ab eo primùm excogitata est, primusq, Regio insignis diademate triumphavit. Currus ejus à Tigridibus vehebatur, & pelle cervina tectus sceptri loco Thyrsum, id est lanceolam hederâ pampinisq; circumtextam dexterâ præferebat. Ab ipso etiam vini potus in usum traductus est, quòd cum Indis propinâsset, toxicum putavêre, quòd hoc potu ebrij velut in furias agerentur. Humanis victimis antea placabatur, sed post susceptum ad In-

dos

dos iter hircos tantùm asinosvê in sacrificium ipsi obtulerunt, nec male: nam cùm Bacchi nomine vinum intelligatur, homines solis ipsi asinis, vel hircis sacrificare dicuntur; ut discamus, immodico vini potui addictos vel stupiditate ac segnitie in asinos, vel obscœnitate morum in hircos converti. Et ut inter rectæ rationis & honestatis terminos ejus usus contineatur, Bacchum â Nymphis educari condiscimus, hoc est, aquæ affusione debere temperari. Præter Satyros ad sacris operandum suis solas adhiberi fœminas voluit, quem per varias Provincias peregrinantem cantando discurrendoq; furibundis similes penè assiduo comitabantur *Bacchantes*, *Bassaridesq;* nominabant, *Thyades* etiam ac *Menades*, quæ voces rabiem & furorem sonant; quemadmodum & in ejus honorem tertio quoque anno summa celebritate festa agebatur, undè *Trieterica* dicta sunt, vel *Orgia* â Græco *orgi* quod irascentis rabiem significat: ritus enim & cæremoniæ ludorum erant, ut mulieres istæ, Tygridum aut Pantherarũ exuvijs formidabiles sparsis capillis, cum tædis ardentibus, aut Thyrsis, per montes discurrerẽt, suũ illud *Euhoë Evan*, *Euhèo Bacche*, hoc est bone fili, ingeminantes; quod nomen â Jove honoris gratiâ acceperat quòd cùm Gygantum bellum ingrueret, Bacchus formâ Leonis assumptâ, in eos irruisset, primumq; obvium discerpsisset.

CAPUT VIII.

Historia Mercurij.

MERCURIUS inter Deorum illustrissimos, celeberrimosq; numerabatur, non modò propter generis amplitudinem, sed etiam ob varia officia, quæ Horatius Ode 10. libri primi eleganti carmine ad posteritatis memoriam exornavit.

Hunc enim Jovi Maia peperit; famosi illius Athlantis filia, qui cœlum humeris sustinet; locum autem natalem in Cylleno monte Arcadiæ habuit.

Hoc autem præcipuè inter cætera munia dignitatis obtinuit, ut Deorum nuntius esset ac interpres; hoc nomine capite, pedibusq; alatus dexterâ Caduceum gestabat, id est, virgam duobus utrimq; serpentibus implicatam, in pacis & concordiæ Symbolum. Ita in communi sermone hoc crebrô usurpamus, per Mercurium sermonem designari mentis nostræ interpretem; qui cum summâ celeritate ab ore proficiscatur, videtur evolare; quippè cùm verbo nihil sit velocius, quo pariter hominum animi positis odijs ad pacem conciliantur.

Alterum, quo fungebatur officium erat, vias itinerantibus præmonstrare, & mortuorum animas ad inferos deducere. Atquè ita nemo potest vitâ excedere, ut Pöetæ asserunt, nisi Virgâ Mercurij arctissimum illud vinculum dissolvatur, quo divina manus a-

nimam cum corpore colligavit. Cùm autem Manes in Campis Elysijs morando statutũ tempus expleverint, ipse est, qui mirâ ejusdem Caducei virtute eos in alia traducit corpora in quibus rursum vivere incipiant, ut illi somniant, qui Metẽpsychosin admittunt. Præter Citharæ, cujus exercitium primus invenit, certi etiam lyræ generis auctor fuisse perhibetur.

Idem eloquentiæ DEUS habitus est, qua suis in legationibus, alijsq; negotijs plurimum utebatur. Quin & furibus præfectus fuit, trifur ipse expertus scribitur, qui Admeti greges pascenti, boum partem clam surripuit, nemine furtum præter Battum Pastorem observante, quod quia contra promissionem minis extortam evulgaverat, in saxum conversus est.

Natus ipsi est Venerê filius Hermaphroditus, quo cum Salmacis Nympha ad fontem congressa fertur, cujus instantissimis moti precibus Dij utrumq; in corpus unum, in quo tamen utriusquè sexus est, conflavère. Hac fictione innuere volebãt Poëtæ, quâm perfecta esse debeat inter conjugatos unio, talis nimirum, ut in unum quasi corpusq; animumq; amore reciproco coalescant.

Hac deniq; á nonnullis laus Mercurio tribuitur, quòd Dædalum tam excellenti artis architectonicæ cognitione imbuerit, ut operum à se inventorum elegantiâ totum orbem admiratione compleverit. Hic Dæda-

lus Athenis digressus in Cretam Insulam se contulit, ubi addictâ Minoi Regi operâ labyrinthum tãto artis miraculo spectabilem tot viarum ambagibus inflexum elaboravit, ut qui eum ingressus esset, ob inextricabiles occursus egredi non valet. Ibidem ab offenso Rege cum Icaro filio in vincula conjectus, modum è carcere per äera avolandi aptatis sibi, filioq; alis excogitavit: neq; spem consiliumq; eventus fefellisset, nisi Icarus paternæ præmonitionis temerè negligens, soli proprior volare præsumpsisset: cujus calore resolutâ cerâ, quâ humeris alas agglutinaverat, in subjectum mare prolapsus aquis submersus est, quas exindè Icarias appellârunt.

CAPUT IX.

Historia Veneris.

PRæter opinionẽ de Veneris progenie, quã Capite 1mo retulimus alia est, quæ Jovis ex Dione filiam asserit. Amorum voluptatumq; Dea credita est, ob incomparabilem oris totiusq; corporis qua omnium animis imperabat, venustatem, Currui insidebat, qui à Cygnis & Columbis lascivis volucribus trahebatur: loca autem ubi præcipuo honore colebatur, erant, *Amathus*, *Cytherea*, & *Paphos*, deliciis & amænitate nulli ea tempestate secunda.

Præter Hymenem, nuptiarum Deum, tres præ-

præterea Charites, hoc eſt gratias peperit, quas comites ubiq; habuit individuas: ex eadē uterquè cupido prodiêre, quorũ alter honeſti amoris, obſcœnarum alter Deus libidinum, alis inſignis & pharetrâ, ſagittis inſtructus ardentibus ad animos hominum, Deorumq; turpi libidine ſauciandos inflammãdosquê utebatur, filium præterea ſuſcepit Priapum moribus rebusquê geſtis infamem, ſacris in literis nominatum, qui ſolis aſininis victimis placabatur. Hac demum parente Æneas apud Virgilium gloriatur; & quãvis hæc Dearum impudiſſima, luparum more, omnibus ſe paſſim proſtitueret, Vulcanum nihilominus Conjugem habuit, ex quo tamen nullam ſuſcepit prolem.

CAPUT X.

Hiſtoria Auroræ, aliorumquè Numinum Cæleſtium.

Lux illa diei prodroma, cujus radiis, priusquam Sol noſtro in Hemiſphærio appareat extrema montium cacumina innubi Cœlo inaurari conſpicimus, antiquis Dea Aurora dicebatur, quæ auro coruſcanti invecta curru, roſeis digitis, manibusq; rore nectareo ſtillantibus Solis adventum mundo prænuntiat. Hæc Dea Tithonum Laomedontis filium, cujus amore exarſerat, vi ſuſtulit, cui immortalitatem à Jove impetravit, verũm cùm ſenectutem illi depre-

cata non fuiſſet; ipſe ferendis extremè ætatis incommodis jam impar, in Cicadam converſus eſt. Alludit fabula ad Tithonum quendam priſcis temporibus celebratum, qui, ut erat Aſtrologiæ ſtudioſiſſimus, diem ſuis prævertere ſtudiis cōſveverat, & ſub auroram ſidera contemplari; hujus autem vigilantiæ beneficio, ad decrepitam uſque ſenectutem, ſed robuſto adhuc validoq; corpore pervixiſſe. Sed cùm præter alia vitia garrulitas ſit propria ſenectutis, inde factum eſt, ut in Cicadam transſormatus, eſſe diceretur.

Aurora famoſum illum Pugilem Memnonem Tithono peperit, qui in Trojana obſidione Priami partes tuitus in ſingulari certamine eum Achille commiſſo occubuit, Sed afflictæ matris commiſeratione in avem converſus eſt, eo tempore quo ejus cadaver in cineres abiturum in rogum conjiciebatur. Hanc Deam Ægyptij præcipuis honoribus coluiſſe memorantur, & nominatim ipſi ſtatuam erexiſſe, quæ primos ſolis orientis radios excipiens, riſu lætitiam teſtari, & ſvavem concentum edere videbatur.

Sidus illud, quod ſub crepuſculum matutinum lucere conſpicimus, Auroram parentem habere perhibetur: dicitur Venus ab Aſtrologis, ab alijs *Lucifer* vel *Phoſphorus*, cùm verò poſt Solis occaſum rurſum ſe prodit, *Veſper* vel *Heſperus* appellatur, cujus officium eſt reliquo ſtellarum agmini prælu-

cere,

cere, easquê ad noctem suis illustrandam radijs velut invitare.

Si Ethnici in numerum Deorum Auroram retulerint, mirum non est, non tantùm de Sole & Luna, ut supra retulimus, eos tam fabulosa credidisse, verùm & de cæteris etiam globis cælestibus, quos vel certos quosdam homines ut plurimum esse dicebant, vel animantia, è terris in cælos translata, ac in stellas conversa, quorum pars maxima Deorum nomine censebantur; ita de Hercule creditum est; ita de Cepheo cum Cassiopea conjuge, & filia Andromede, & Perseo genero. Eadem dignitas Erichtonio contigit, qui ex Vulcani semine genitus, ut pedum, quos Draconum more fissos habebat, deformitatem tegeret, usum curruum repperisse memoratur. Stella illa in Polo Arctico quæ aliis Cynosura, aliis Ursa minor dicitur, quã navigantes boni ominis existimant, è Nympharum choro fuit, quæ Jovis Infantis curam habuêre. Ursam verò majorem, quæ & Helice, sive Callisto nominatur, ajunt esse Lycaonis Arcadiæ Regis filiam, & à Diana in Ursæ figuram commutatã; quòd licet è suo foret Gyneceo, corrumpi se nihilominus à Jove permisisset: usq; adeò pudiciciam adamabat, ut ne in suo quidem comitatu ullam residere labem pateretur; Sed miseræ fatum miseratus Jupiter, eam in astrum ejusdem nominis convertit. Quanquam non desunt, qui eam Plaustrum nominent,

nent, quò minorũ siderũ ordo, quẽ præfert, vehiculi speciem intuentibus repræsentet; unde & Astrum, quòd à tergo insequitur, Arctophilacem vocant, quasi Ursæ custodem aut Bootem id est, velut Bubulcum, qui currui moderatur. Sidus pluviæ imminentis prognosticum. Orion dicitur, qui à Diana venationi adhibitus. Tanto virium robore simul ac industria valebat, ut nullius feræ, quantumvis ferocissimæ, occursum formidaret. Longum foret singula singilatim persequi: nam præter equum Pegasum & Serpentem Hesperidum pomorum Custodem Aquila quæ Jovi Ganymedem attulit & Cetum advocandum Andromedẽ, de quo infra, à Neseptuno submissum inter cælestia Numina censebatur; mitto dicere de Cane Majore, de Canicula, cui nomen Procyno, dequê alijs sine numero animantibus, quæ vel in Zodiaco, vel in alijs cœli partibus statuuntur.

CAPUT XI.

Historia Neptuni, aliorumq́; Deorum maris.

NEPTUNUS Saturno genitus, in Universi partitione, maris præfecturam sortitò obtinuit: tridentem sceptri loco dexterâ præferens, conchâ marinâ tanquam curru invehitur, trahentibus vel cetis vel vitulis marinis, posteriori sui parte pisci-

um ſpeciem referentibus. Uxorem habuit Amphitritem, ſic dictam quòd mare ſuo ambitu terram complectatur. Hoc conjugium Delphino conciliante perfectum eſt, qui deinde relatus in ſidera Capricorni proximus Cœlos illuſtrat. Uſum equorum primus reperiſſe, creditur, quòd equus è terra exiljiſſet quam tridente percuſſerat, cùm in Areopago cum Minerva de nomine Athenienſi Civitati imponendo contenderet. Conſpiratione adversùs Jovem conflatâ implicitus in terras relegatus eſt, ubi coactus Regi Laomedonti ſe famulum addicere, in Trojana Civitate ædificanda operam poſuit, ut in Hiſtoria Apollinis retulimus. Tritones ſupernè homines infra piſces genuit, qui certis piſcium ſquammis quaſi buccinantes, ab ejus latere nunquam recedebant. Harpyas præterea ex Tellure ſuſcepit, monſtra ejuſmodi, quæ avari alicujus qualitates omnes aptiſſimê repræſentabãt. Facie erãt ad puellarum ſpeciem eformatâ, ſed exangui pallore luridâ: reliquo corpore vultures erant, alatis humeris, pedibus manibusquè in modum Gryphis in aduncos ungves diſſectis, gulà inſaturabili, immani membrorum mole terribiles; inficiebant præſenti toxico quidquid tetigiſſent & obvia quæquæ furabantur.

Ipſi Oceano, qui Neptunus moderabatur, divinitatem affinxit antiquitas, eundem fluviorum patrem credebant, & ſpecie homi-

nis Taurorum more cornuti, uti & reliquos fluviorum depingebant. Ex Thetide uxore Nereum & Doridem suscepit, qui matrimonio sociati filias magno numero peperêre, Nympharum nomine à Poëtis celebratas: harum aliæ in cœlum translatæ, aliæ capillo viridi spectabiles partim in fontibus & fluviis, partim in pratis & nemoribus hàc illàc dispersæ vagabantur. Napeæ, Dryades, & Himadryades, silvis, agris, floribus, & simul pascuis erant præpositæ: Najades ad fluvios, fontes, & loca irrigua morabantur, & Nereides, à Nereo patre sic dictæ, ad Oceanum destinatæ Alcyonibus marinis avibus ut plurimum oblectabantur, de quibus hoc memorabile scribitur, quòd rigidissima etiam hyeme in maris fluctibus nidos construant, ubi dum pullos excludunt, vel jam exclusos educant pacatur mare, & si quæ procella ingruat, illæsi tamen velut in portu conquiescunt. Una Nereidũ, quæ matris Thetidis nomen retinuerat, formæ elegantiâ præ reliquis commendanda, amores Jovis sibi gratiâ & decore demeruit Sed Jupiter ab oraculo edoctus, si nuptui daretur, eam filium suscepturam qui patrem virtute & generositate superaturus esset, gloriæ quam voluptatis appetentior, à se dimissam Pelêo conjugem tradidit, cui & magnum Achillem peperit, de cujus armis & fortitudine suus erit infra dicendi locus.

Pro-

Protheus Neptuni paſtor, Phocis paſcendis præfectus, quod alij vitulos marinos vocant, Oceani & Thetidis filius fuit. Hic Latinis *Vertumnus* dicitur, quòd in omnes ſe formas induere, & in quoslibet ſe poſſit vultus convertere; atquè ut erat futurorum cognitione celebris, qui eum conſulebant, imparatum ex improviſo quaſi adorti, & vinculis arctè conſtringere debebant, ut eum ad priſtinam formam induendam compellerent, & reſponſum acciperent.

Glaucus Ino & Melicerte Diis marinis etiam acconſentur. Ille antea piſcandi artem profeſſus, cùm die quadam advertiſſet, piſces in littoris gramen expoſitos, ſolo herbæ illius attactu, quæ miræ virtutis erat, ſubitò reſilire in Oceanum; ipſe vim quoq; experiri voluit, quam ubi ori admoviſſet, in furorem actus in mare ſe præcipitem devolvit, ubi ab aquarum Diis in ſocietatem perhumaniter acceptus eſt.

De Inone plura implicatiora referuntur. Athamanti Thebanorum Regi, qui Nephelem priorem conjugem dimiſerat, nupta Phryxum & Hellen mariti ex Nephele liberos è medio tollere decreverat. Phryxus novercæ inſidijs ſe ſubducturus, modum reperit arietem aureo inſignem vellere ſecum abducendi, qui ut pretioſiſſimus Regiæ familiæ theſaurus ſollicitè ſervabatur. Hoc igitur cum ſorore invectus in alias Regiones, procul à patria ſe recepit; Sed dum mare traij-

traijciunt. Helle insolito assurgentium fluctuum spectaculo exterrita in undas prolabitur, unde fretum illud Hellespontus dictus est. Phryxus Colchidem feliciter delatus, Jovi sospitatori arietem immolavit, quo inter duodecim signa Zodiaci relato, detractum vellus penes Ætham Colchidis Regem remansit, quod intra septum quodpiam Marti sacrum collocavit, ubi adhibitis custodibus, studiosè custodiri voluit, ut in Historia Jasonis referemus.

Injuriam Nephele in liberis illatam vindicatura Athamantis animum ita perturbavit ut mentis impos & furore amens Jnonem & susceptas ex ea proles ad necem quæreret. Illa tam repentina viri mutatione territa, se cum Melcerte filia, in mare præcipitem deijcit, quas Neptunus commiseratione motus in Deorum familiam adscivit, quorum comitatu ad pompam utebatur. Ipsa deinceps Aurora credita est, dictaquê Laucothea, seu primum diei nascentis diluculum; filius autem accepto Palæmonis nomine portubus maris præpositus est.

Sed non est mihi hoc loco prætereundus Æolus cujus quidem imperium totum orbem complectitur, Oceanum tamen potestate singulari pervagatur. Ipse Ventorum Deus habitus, in Insula Siciliæ contermina domicilium fixerat, ubi eos conclusos attinebat, & pro arbitrio emittebat.

Superest ut de monstris illis nominatissimis

ſimis quæ toto paſſim mari nautis infeſtiſſimæ ferebantur, pauca referamus. Scylla & Charybdis fauces Siciliæ occupaverant: & Charybdim quidem memorant mulierem fuiſſe aſperi ingenij, & ab omni humanitate alienam, quæ in obvios quoſquè peregrinos belluino ruebat impetu, omnia diripiens & depopulans. Quâ immanitate cùm aliquando boves Herculis abſtuliſſet indignatus Jupiter inſanam vibrato fulmine proſternit, & in monſtrum terribile converſam in maris voraginem, quæ ejus nomen retinuit præcipitem devolvit.

Scylla Niſi Magarenſium Regis erat filia quæ Minois Regis Cretenſium amore excœcata, nefariam in caput patris proditionem conflavit, ut infami libidine animum ſatiaret. Hoc conſilium ſuſceperat, cùm Minos bello Magarenſes proſequeretur, & urbem Magarenſem obſidione præmeret, filij Androgei cædem ulturus, qui ab ijs crudeliter trucidatus fuerat. Scylla obſidionis tempore ad civitatis mœnia frequenter accedebat, ut gratiſſimo illo concentu ſeſe oblectaret, quem edebant ſaxa, ex quibus erant conſtructa: (nam Apollo, qui urbis fuerat Architectus, Lyram ſuam ſupra illos lapides depoſitam reliquerat, ex cujus attactu hanc vim hauſerant, ut vel leuiter tacti gratiſſima auribus harmonia reſonarent) hæc Princeps virguncula viſo Minoe, tanto ejus amore flagrare cœpit, ut ſe ejus voluntati patrem tradi-

tradituram spoponderit, modo suæ libidini obsequeretur. Omne negotium erat in crine purpureo, qui Niso patri in capite excreverat, quem quamdiu circumferret, à nemine poterat superari. Hunc ergo per summum nefas sopito patri resecuit. Sed Minos parricidale mulieris facinus detestatus, quamvis proditionis fructum non recusaret, eam in gurgitem maris fluctibus absorbendam deijci voluit, ad promontorium quod charybdim ex adverso respicit ubi in horrendum monstrum abijt, cujus membra omnia à lateribus ad usquè pedes in canum continuis eam latratibus lacessentium formas conversa sunt. Alij aliam hujus tragœdiæ catastrophen retulerunt; scribit enim Ovidius Scyllam in Alaudam Nisum in Accipitrem transmutatum, à quo illa assiduò exagitâta pœnas dabat perfidiæ, & hanc quidem ab altera longè diversam Scyllam esse referunt, quam Circe venefica in figuram illam mutaverat, favoris illius & gratiæ æmula, quam Scylla ista apud Glaucum obtinebat.

Sirenes quoq; non procul à Sycilia domicilium habuisse fabulantur, quæ superiori parte virgines referebant, reliquo corpore pisces in longum à tergo syrma abeuntes, uti vulgo depictas videmus, in imaginibus, vel in statuis excisas: licet à Pôetis antiquioribus pedes alasquè volucrum, loco caudæ illius piscium propriæ tribuerunt. Tanta

vocis ſvavitate & concentu modulari noverant, ut prætereuntes omnes ſuâ muſicâ faſcinatos facilè irretirent, quos deinde ſummâ crudelitate devorabant. In hac fabula ſymbolum habemus clariſſimum illicitæ voluptatis, cujus illecebris capti homines infelicem plerumquè exitum ſortiuntur, niſi Ulyſſis prudentiam imitentur, qui loca monſtris illis infamia prætervehendus, nautas aut Epibatas omnes cerâ aures obducere; ſe autem malo navis vinculis adſtringi voluit, ne Syrenum blanditiis cum ſuis caperetur.

CAPUT XII.

De Diis terrarum inquilinis.

CYBELE quam 2. Cap: Deorum parentem eſſe diximus, Telluris etiam Dea exiſtimata eſt ideoquè ſedens repræſentabatur, coronata urbibus, latera utrimquè ſtipantibus arboribus, varijsquè animantibus. Hanc quoq; ſingulari cultu, ut Deam ſuam paſtores venerabantur, à quibut & *Magna Pales* dicebatur.

Pan, Deorum agreſtium facilè Princeps, ex Mercurio in Capri formam converſo prodierat, ideoq; promiſſo barbitio, fiſſis pedibus, cornibusq; in fronte prominentibus caprum referebat. Idem Sylvanus nominabatur quãquã Virgilius aliud de hoc ſentire videatur. Ejus familiaritate Nymphæ plurimum lætabantur, & choreas ducebant, ſæpiſſi-

pissimè ipso interim fistulam animante, ab Arcadibus præcipuo honore celebratur, cui lac & mel in sacrificium offerebant. Mense Februario certa festa. quæ Lupercalia à loco ipsi ab Evandro consecrato, ubi Romulus & Remus à lupa educati fuerant, nominabantur, apud Romanos in ejus honorem quotannis magno apparatu colebantur.

Pico latinorum Regi filius fuit Faunus nomine & ipse agrestium Deorum unus, nec postremus, quiq; varia ad Agriculturam pernecessaria primus reperit. Reliqui Fauni Satyriquè cornutis frontibus, pedibusquè caprinis, monstrosi, eo patre geniti credebantur. Satyros jam ætate provectos Silenos nominabant, quo tempore assiduis compotationibus dies noctesquè exigebant: qui inter eos & dignitate Princeps erat, & ætate superior, is Bachum infantem educandum susceperat, & quocunquè pergeret, Asino vehebatur, qui in bello quod Bachus adversus Indos gerebat. magnum sibi nomen comparavit: cùm enim cœpisset rudere, hostium Elephantos tanto terrore complevit, ut relatæ victoriæ gloria asino debeatur, propterea, inter sidera relatus locum Cancro proximum occupavit.

CAPUT XIII.

Historia Deorum Inferni.

UT de Inferno ex veterum Pöetarum sententia breviter aliqua attingamus, suppónen-

ponendum eſt locum eſſe in terræ viſceribus medium magnitudinis & vaſtitatis propè incredibilis, quo defunctorum animæ, vinculis ſolutæ corporeis, quamprimùm transportantur. Iis locis ſuprema cum poteſtate Plutus imperat, Jovis & Neptuni frater, ut initio libri retulimus. Uxorem habuit Proſerpinam Cereris filiam, quam vi rapere & in Orcum abſtrahere debuit; cùm ex toto Dearum grege nulla reperiretur, quæ maritum tam turpi facie indecorum non reſpueret, & in locum perpetua nocte horridum ſubire non reformidaret.

Multis undiquê fluviis circumcingitur quorum primus Acheron; alter ſtyx dicitur quæ novies Regnum univerſum circumfluit filiam habebat nomine Victoriam quæ cùm Jovi contra Gingantes prælianti faviſſet, tantæ inter Deos venerationis eſſe cœpit, ut qui per ejus aquas juraviſſent jurejurando ſtare tenerentur, hac pœna violantibus propoſita, ut & nectare & divinitate per annos centum privarentur. Originem habet in fronte Arcadiæ aquis adeô peſtilentibus ut potæ mortem afferant præſentiſſimam, & hauſtæ non poſſint niſi in vaſe ex muli ungula confecto conſervari. Tertius Cocytes ſolis lacrymis augebatur. Quartus deindè Phlegeton, cujus aquæ vehementi æſtu ebulliunt.

Hìc ſemper aderat Charon, Nauta ſenectutis decrepitæ, qui quotquot ex orbe appelle-

pellebant nullâ ordinis, ætatis, conditionis differentiâ, cum divitibus inopes, cum Magnatibus infimæ sortis homunculos promiscuè sine discrimine omnes in Cymbam transvehendos admittebat, quos æqua moriendi necessitas pari jam conditione miscuisset. Quorum tamen cadavera insepulta jacuerant, ijs ad centum annos expectandum erat donec traijcerentur.

Navim exscendentibus occurrebat Cerberus triplici capite formidandus canis, & pilorum loco toto corpore serpentibus coopertus. Hic ad Inferni fores perpetuò excubans omnibus quidem aditum, nulli verò exitum permittebat.

Intra Inferni penetralia Nox horrida morabatur inter Deas ex Chao natas, facie antiquissima, fœcunda multorum monstrorum mater, quæ locum illum funestissimum subeuntibus terribili specie primùm occurrebat. Nam præter invidiam, Dolorem Paupertatem, Desperationem, Mors pallida, & mortis frater Sopor videbantur: hic tamen apud homines non sine magno honore ferebatur, ut qui mortalibus non parum faveret, & quietem conciliaret. Inter alios ministros, comitesquè, Morpheo ut plurimum utebatur, qui somnijs præfectus formas omnes inducere noverat. Ibidem præter Harpyas ad perpetuas tenebras condemnatas, Chimeram videre erat ignes totis faucibus horrendum evomentem quæ Leonem capite,

Capram

Capram ventre, & immanem Draconem caudâ referebat.

Hanc ſequebantur Furiæ,alio nomine Diræ, ſive Eumenides, Tyſiphone ſcilicet, Megæra & Alecto, tædis armatæ ardentibus rabiem ſpumantes oculis, velut fulgurantibus ſcintillantes, viperis caput undiquè comarum loco ambientibus.

Erant & ternæ ſorores, Clotho, Lacheſis & Atropos, Parcæ à Poëtis dictæ, quæ in aula Plutonis verſabantur, Fatales prorsùs Deæ, & viventium omnium fata, caſusquê pro arbitrio deſtinantes: quidquid enim ex Deorum judicio decreverant neceſſitate prorsùs incommutabili contingebat, nulla vi, aut arte declinandum. Filo, id eſt, humanæ vitæ curſui ſingulari præerant poteſtate, ita didiſtributis inter ſe officiis, ut natu minima colum teneret, filumq́, duceret, altera fuſum ſtammine involveret; ſenior deniquè forcipe filum reſecaret inevitabiliter conſequente.

Manes ad Inferos admiſſi, vitæ retrô actæ rationes Minoi, Rhadamanto: atque Æaco Judicibus reddere cogebantur, qui fatalem Urnam tenebant manu, in qua omnium in terris viventium nomina incluſa ſervabantur, quæ caſu fortuito educta: quem mori oporteret, deſignabant. Hoc judicandi munus Deorum beneficio ipſis permiſſum fuerat; in præmium æquitatis quam olim, dum viverent in rebus adminiſtrandis ſingulari cum laude ſervaverant. Nequê

Nequè silentio prætereundum duco singulare illud, quod de Æaco memoratur: cùm lues pestifera omnes Insulæ Æginæ Incolas sustulisset, ubi rerum summo cum imperio potitus fuerat, hoc à Jove impetravit, ut ad Regionem civibus iteratò frequentandam, quotqoot ibi formicæ reperirentur, in homines commutârit quos ideò Myrmidones appellârunt: licet revera hoc nomen accepissent, quòd agriculturæ plurimum operæ, temporisquè insumerent; in quo laboris genere formicas imitari videbantur, quæ terram assiduè congerunt, & glebam moliuntur.

Prolatâ à Iudicibus in reos manes sententiâ aderant è vestigio Eumenides, quæ miseros ad ima tertara, loca supplicijs destinata præcipites devolvebant.

In medio flammarum rogo Gigantes videbantur, & Titanes sub immani montium incumbentium mole fatiscentes, nulla spe reliqua resurgendi. Hîc Tantalus, bonis omnibus affluens, fame & siti cruciabatur. Iisdem addictus supplicis Salmonæus visebatur. qui Elidarum Regno moderatus, quòd divinitatem affectâsset, Jovis fulmine conciderat: Pontē enī incredibilis magnitudinis extruxerat in quo, curru sublimi se circumagens, eos edebat fragores, qui referrent tonitrua, & tædas ardentes vibrabat undiquè cum certa eorum pernicie, qui tangebantur. Erant item in ijs pœnarum locis Danaides, quæ & Belides dicuntur, nomen ab avo mutuatæ Regis Danai filio, à quo & Græci Dana-

orum nomen acceperunt. Hic Danaus coactus est eas Ægyti fratris sui filio nuptui tradere, qui quinquaginta erant numero totidem videlicet, quot ipsæ, sed omnes, unã si exceperis, eò perfidiæ devenerunt, ut suos singulæ maritos, prima nuptiarum nocte, per inauditam barbariem jugularint; ideoquê in tanti sceleris supplicium ad Tartara detrusæ, coguntur pertuso dolio, aquas asiduò affundere, labore semper irrito, quippe cùm tantum effluat, quantum infusum fuerit. Eodem migrare præterea Tytius compulsus est, quem ferunt tam portentosæ esse magnitudinis; ut humi jacens novem terræ jugera corporis vastitate occupet. Hic ob illatam Latonæ injuriam, ab Appoline jaculis confixus, damnatusque, ut jecur ejus vultures depascerentur, quod in novum cruentis illis avibus pabulum perpetuò renascatur.

Nec leviori supplicio Sisyphus apud Inferos prædo insignis, torquebatur, qui immani saxo in prærupti montis verticem evolvendo damnatus est, unde identidem ad ima revolvebatur, cum vel maximè labore se defunctum putaret: ita ut idem saxum infinities volvendo revolvendoque, eodem perpetuò in subjectam vallem recidente, vano labore in immensum crucietur.

Ixionem deniq; ad stygem damnatum fabulantur, qui rotæ illigatus perpetuâ circumvolutione agitatur. Huic supplicio ad-

dictus fuerat, quod Junonis pudicitiam tentare non esset veritus: ipse Jupiter ut ejus insidias eluderet, nubem ipsi objecit. Junonis formam referentem ex qua Centauros genuit sive monstra illa, quæ parte alterâ homines, alterâ equos repræsentabant.

Qui vitam, cum virtute conjunctam traduxerant- alisq; qui statutum tempus in Orco expleverant, in Campos Elysios, loca deliciis & omni genere voluptatum fortunatissima transferebantur, quibus tamen post certum annorum numerum ibi exactum, in terras remigrandum erat, ut in aliis rursũ corporibus vivere inciperent; ne quæ autẽ Camporum Elysiorum memoria, speciesve superesset, ex Lethe fluvio singulis potandum erat, cujus aquæ, rerùm præteritarum oblivionem inducebant.

CAPUT XIV.

De aliis quibusdam privatis Diis.

PRÆTER Deos omnibus communes, de quibus hactenus, alios longè plurimos colebant Ethnici, quorum vel singuli singulis hominibus, vel certè quibusdam domibus familiisque erant præpositi.

Et ut à domesticis incipiam, qui *Lares* aut *Penates* dicebantur, nihil erant aliud: quàm efformatæ ridiculum in modum effigies, quas, ut protectores suos domus universa venerabatur, iisque certis temporibus thus, & vinum loco sacrificii offerebant.

Cum

Cum ſingulis etiam, ut credebat duo proprii & particulares genii, dicti *Dæmones* naſcebantur; quorum alter erat bonus, ad virtutem & honeſtatem eos exſtimulans, & bonis cumulans eorum ſtatui convenientibus: altero adverſario utebatur; qui quantum alteri prævalere poterat tantum eis malorum afferebat.

Fortunam denique eſſe Deam prædicabant, penes quam honores & divitiæ aliaquè hujus vitæ bona, quæ pro ſuo arbitrio ſingula diſpertiret vel auferret; ſed quæ cæca & inſtabilis, rotam manu perpetuò volveret, qua mox illos ad ſumma attolleret, mox ad ima deorſum deprimeret, nihil idcircò in ea firmum nil conſtans eſſet. Hoc Numen hominum pars maxima adorabat, cujus aureum ſimulacrum, magni Principes domi aſſervabant, ut eam ſemper faventem experirentur.

Cætera minutim perſequi nihil attinet. Nihil itaque de Dea Nemeſi dicam, quæ in omnium crimina intentum ſemper oculum advertebat, ut pœnas repoſceret. Nihil de Deo Momo, omnibus inviſo, qui ubique mala audiebat: erat enim obſcurus Somni ex Nocte filius, & nihil dignum agens, utpote inepus ad omnia, quærebat in ſingulis, quod reprehēderet, omnesque carpebat incōſultus blatero, quod & vano ſui amore cœcus, & animo non ſatis conſtans, omnes infra ſe deſpiceret, ut criticis illis ſolemne

est quorum omnis cura est alios observare, & quidquid ipsi non faciunt improbare.

LIBER SECUNDUS.
HISTORIA, SEMI-DEORUM. ANTIQUORUM.
PRÆFATIO.

HESIODUS Scriptorum antiquissimus tria Deorum genera ab Ethnicis olim fuisse credita memoriæ prodidit, nam præter illos primi ordinis, de quibus priore libro egimus: aërem innumera minorum Deorum multitudine, quos Dæmones nominabant, refertissimum esse supponebant: Hi mortalium negotiis, ut ipsi quidem credebant, procurandis destinati, magnam in hæc sublunaria potestatem exercebant. Postremo erant plurimi qui ex parte, vel patris vel matris tantummodo, ex Deorum semine procreati, Heroes, vel semi Dei vocabantur, ex quorum tamen numero eos nequaquam excludebant, qui virtutis exercita fama & rerum præclare gestarum gloria, ad Deorum perfe- *ctio-*

ctionem visi fuerant propiùs accedere, atque adeo ad hunc supremæ dignitatis apicem evehebantur, licet parem cum aliis omnibus conditionem sortiti, homines essent, morti, aliisque hujus vitæ miseriis obnoxii. Propterea si quas eorum nomini statuas grata posteritas erexisset eas nativam illam magnitudinem volebant excedere quam olim corpore prætulerant; ut nihil dicam, Draconem ipsis singulari titulò ut plurimum fuisse dedicatum, quo symbolo immortalitatem designarent, ad quam ex hac vita mortali transiverant. Ita ex Virgilio discimus, qui cum de Anchisis sepulchro meminisset, magnum ex eo serpentem prodiisse retulit; ita Plutarcho teste Cleomenus apud Ægyptios Deus habitus est, quòd natum ex ejus occisi cadavere colubrum adspexissent. Porrò inter Semi Deos nominatissimi extitere Perseus, Hercules, Theseus, Argon ante, aliique Duces magnanimi, qui in bello Thebano, & Trojano, eximia virtutis edidêre specimina, ideoque inter primos numerantur, de quibus hoc secundo libro mihi agendum erit.

HISTORIA SEMI-DEORUM ANTIQUORUM.

CAPUT PRIMUM.

Historia Persei.

DANAE Acrisii Argorum Regis filia Perseum Jovi peperit: Acrisius ab oraculo monitus, sibi à nepote ex filia procreando mortem aliquando inferendam, turri æneæ Filiam includi voluit, ut rescisso ipsi cum omnibus commercio omnis omnino præcluderetur occasio fatalis scilicet illius infantis procreandi, à quo sibi tantoperè metuebat. Jovem tamen virginis amore captum, hoc suô consilio præpedire non potuit, quin ille (ut est ingeniosus amor) in imbrem conversus aureum, per summum turris apicem intro penetraret unde natus est Perseus, ut in Jovis historia superiùs meminimus. Sed dolus Acrisium non diu latuit, qui matrem cum Perseo inclusam arcæ, in Oceanum detrudi imperavit, unde tamen piscatorum beneficio incolumes emersêre, habuitque fidem oraculum.

culum, cùm Acrisio, prælio umbratili sese exercenti; Perseus qui omnium ignarus tum fortè aderat, casu vulnus Acrisio inflixit, quo & occubuit.

Perseum jam ætate confirmatum Dii singulari benevolentiâ, plurimisquè favoribus sunt prosecuti: nam à Minerva speculum dono accepit, quo tanquam clypeo utebatur, alas à Mercurio, quibus caput & pedes instruxerat, & ex Vulcani officina acinacem, quo raræ fortitudinis edidit argumenta. Nam primò, ut pauca strictim persequar, vastissimam illam regionem, quæ à victoris nomine Persis dicta est, ditioni suæ subjugavit, deinde miseram Andromeden, quam Nereides, suam pulchritudinem ab ejus matre despectam indignatæ rupi alligatam marinis monstris prædam objecerant, præsenti ereptam discrimine in libertatem asseruit.

Nec minoris sanè laudis fuit illud facinus quod prioribus adjungo: quâ tempastate sui famâ nominis orbem terrarum complebat, tres sorores fuêre, Phorcidis Dei marini filiæ, Gorgones dictæ, quarum duæ formâ terribiles; monstris quàm hominibus similiores, unicum tribus communem, habebant oculum, quamvis ut alii referunt, tertia Medusa nomine, rarâ oris totiusq; corporis specie celebraretur; cujus aspectu in templo Minervæ Neptunus in ejus amorem tanta vi raptus est, ut moræ impatiens suam

suam ibidem cum ea libidinem expleverit. Displicuit enimverò Minervæ tanti flagitii indignitas, & mulieris ultura audaciam, crines ejus in serpentes tam horrendos cõmutavit, ut solo eorum aspectu homines in saxa obrigescerent. Perseus ut hoc monstro ptriam liberaret, nefandum caput à cervicibus resecare statuit. Sed, quis credat? ex defluente per corporis truncum sangvine prodiit eqvus Pegasus, qui terram ungulâ feriens fontem Hypocrenem elicuit, tot postea Pòëtarum laudibus decantatû. Idem Pegasus multò evasit celebrior cùm Bellerophonti in Chymæra oppugnanda auxiliatus, deinde â Jove territus sessorem excussit, & in cœlos evolans inter sidera locũ accepit. Sed ut ad Medusam revertamur. hoc etiam notandum venit, ejus capiti licet à corpore resciſſo, eam vim remansisse, ut quotquot illud aspicerent subitò in saxa mutarentur. Hoc malò suò Atlas expertus est, â quo cùm Perseus hospitio exclusus fuisset, caput illi spectandum in vindictam objecit.

Hanc partam bello gloriam non minori laude Perseus cumulavit, cùm, ut eorum Principum mos est, quos supra plebem fortuna sustulit, ad exornanda bonarum literarum studia curas convertit, ad quas tradendas in Helicone monte scholam aperuit, ut locus èsset, ubi honestis artibus juventus exerceretur; ideoq́, non ingrati Pòëtæ

&

& Aſtrologi eum inter aſtra retulerunt: nec ſanè immeritò, quippe qui omnes in ſe virtutes expreſſit, quæ magnos belli Duces cumprimis decent. Nam ejus arma, quorum meminimus, ſunt totidem velut hieroglyphica pulcherimarum virtutum quæ ipſis ſunt neceſſariæ, ut & magna præclaraque moliantur, & eorum conſilia ſucceſſu proſpero coronentur. Videbunt in Minervæ ſpeculo expreſſam prudentiam, quo ſcuti locô corpus contegebat; videbunt adumbratam in acinace, Vulcani operâ fabricato, & in alis quas à Mercurio acceperat excelſitatem animi cum promptitudine conjunctam, in exequendis quæ maturè ſtatuta ſunt adhibendam. Quod autem de Meduſæ capite relatum eſt, ſignificat ſolo viri tanti aſpectu terreri adverſarios, tantoque pavore perſtringi, quaſi in ſtatuas abijſſent.

CAPUT II.

Hiſtoria Herculis.

INTER Heroes fortiſſimos, quos unquam produxit antiquitas, & poſteritas obſtupuit, nemo eſt, qui rerum geſtarum gloriâ, & nominis ſplendore Herculem adæquaverit: licet, ſi quorumdam teſtimonium admittimus, plurium virorum fortium ejuſdem nominis facinora, uni ſolummodo tribuantur.

Hunc Alcmena genuit, quæ Amphytr o-

nem Thebanum Principem, eâ lege conjugē accepit, ut fratris sui necem armis ulcisceretur: digressio igitur ad bellum illud conficiendum Amphytrione, Jupiter Alcmenæ amore saucius maritum formâ ementitus, nocte quadam, quam, nè lucis exortu proderetur, solitò longiùs produxit, furtivâ libidine cum Alcmena congressus est, quæ licet jam Iphicium utero gereret, ex Jove Herculem etiam concepit, & utrumque eodem partu in lucem protulit; Hercule interim *Amphitryonidæ* nomen apud Pöëtas retinente; quàvis Amphitrione revera non esset genitus.

Interea Stheleno Mycenarum Regi, cui brevi post, filius Eurystheus nasciturus erat jure jurando Jupiter promiserat, eum qui primus, vel ex eo, vel ex Hercule nasceretur, Regno donandum, & alteri summa cum potestate imperaturum: quo comperto Juno, suprâ quam dici potest Zelotypa, & concubinarum mariti, & liberorū quos ex ipso suscipiebāt, capitalis hostis, Eurysthei nativitatem acceleravit, ut intra septem menses nasceretur, & sceptrum Herculi præriperet.

Non desunt tamen, quidicāt Junonem precibus Palladis inflexam, mitiorem sese Herculi præbuisse, & in benevolentiæ argumentum sugenda ipsi propria ubera obtulisse, unde factum esse memorant, ut lacte per puellum casu effuso, pars illa cœli, quæ *Via lactea*

lactea dicitur, albedinem contraxerit. Sincera tamen non fuit illa benevolentia, ut postea patuit, sed ficta in speciem, ut satis Palladi facere videretur; infans enim nondum è cunis excesserat, cum geminos serpentes eum voraturos submisit; spem tamen fefellit eventus: Puellus etenim imperterritus apprehensos in frusta discerpsit.

Et jam annis, viribusque auctiorem Eurysteus sexcentis exposuit periculis, ratus eum in aliquo periturum; ita ut Hercules tot molestiarum pertæsus, illius Tyranni jugum excussisset, nisi hanc esse Deorum voluntatem didicisset, ut duodecim prætere a subiret ejus jussu pericula, quæ 12. labores Herculis communiter appellantur.

Primùm igitur in mandatis accepit, ut Leonem in Nemea sylva grassantem sisteret, qui ex cœlo Lunæ delapsus totam latè regionem infestabat: telis spiculisque frustra petebatur, erat enim! ad omnes ictus impenetrabilis. Hunc insecutus Hercules in speluncam adegit, unde elabi non posset, & in ejus collum insiliens fauces elisit belluæ nequicquam reluctanti. In Trophæum tantæ victoriæ, Leonis illius exuviis tectus incessit, quem eundem esse dicunt cùm eo, qui inter duodecin signa Zodiaci numeratur.

Alteram expeditionem ad Lernam Paludem Argis adjacentem suscepit, Hydram serpentem terribilem, & naturæ insolentis

confecturus, Septenis constabat capitibus, quorum si unum resectum esset, alia continuò in ejus locum pullulabant; ita qui mõstrum illud profligare vellet, ignem debebat ferro conjugere, & uno ictu capita omnia demetere, quemadmodum felici eventu Hercules expertus est.

Erat eodem tempore in Erymantho monte aper horrendæ magnitudinis, qui vicinis agris omnibus vastitatem inferebat; hunc vivùm Eurystheo adduxit, qui ejus aspectu prope exanimatus est. Eâdem industriâ Cervam æreis pedibus velocissimam, in Mænalo monte comprehendit, quam per totum annum discurrendo in secutus est.

Nec minori felicitate Stymphalides aves in fugam compulit, quæ infinito propè numero & prodigosa magnitudine volando, solem ipsum obscurabant & passim captos homines devorabant.

Nunquam tamen virtutem suam magis exeruit, quâm in bello adversus Amazones suscepto. Erant mulieres partem Scythiæ Hircano mari conterminam incolentes; quæ maritos suos in bello prosecutæ, cùm ad Thormodoontem Capadociæ fluvium cecidisse universos comperissent, ipsæ bella gerere decreverunt, exclusis â consortio suo viris omnibus, neminem nisi è sexu suo passæ, qui potestatem aliquam in regno suo, vel in exercitu obtineret; ita ut ex commercio cum solis aligenigenis proles susciperent,

perent, mares omnes occiderent, & solas educarent fœminas, quibus & dextrum uber adurebant, ut arcus faciliùs intenderent. Egregia ediderant in Trojana obsidione facinora Penthesileâ Duce: sed Hercules assumpto in belli societatem Theseo illas triumphavit, & Eurystheo obsecutus, Hippolytam earum Reginam abduxit, & Theseo uxorem dedit.

Laborum quos exantlavit, teste Virgilio septimus fuit, Augiæ Elidis Regis stabula perpurgare, ubi quot diebus aliquot boum millia pascebantur; ideoque aggestus fimus, aliæque per annos complures sordes in immensum creverant, quæ putida mephiti aërem circumquaque corruperant. Alpheum fluvium per obliqua viarum in stabula ista derivavit, cujus eluvione sordes omnes dissipatæ; Augiam deindè tanti beneficii immemorem, bonis primùm omnibus, deinde etiam vitâ mulctavit.

Excepit subindè Herculem alius labor, Taurum cepit ignes horrendùm evocùm mentem & à Neptuno in Græciam immissũ, ut acceptam à Græcis quandam injuriam ulcisceretur.

In Thraciam deindè se contulit, ubi in Diomedem, externos quoslibet equis suis in pabulum objicientem, pœnâ talonis animadvertit. Eandem fortunam expertus est Busiris Rex Ægypti, qui immani crudelitate advenas omnes ad aras Jovis, ut Re-

Religionis speciem criminibus suis prætenderet, jugulabat, Hercule itidem justissimas pœnas reposcente,

Gerion Rex Hispaniæ, quem tricorporem eò dixerunt, quod tribus regnis imperaret quosdam boves, suas delicias, humanis carnibus non minori pascebat barbariê, ad quorum custodiam canis triceps & Draco septiceps excubabant: Hunc Tyrannum Hercules Eurysthei jussu, pari cum Diomede pœnâ sustulit: & quia de Gerione qui in tribus corporibus unicam habebat animam, sermo incidit, non erit, abs re Herilum Regem ipsi opponere, cujus meminit Virgil: 8. Æneid, qui in uno corpore tribus constabat animabus, ideoque non nisi morte triplici poterat occumbere.

Hoc labore perfunctus ad novum facinus continuò se accinxit Eurystheus, poma Junonis aurea sibi volebat afferri, quæ Nymphæ Hesperi Atlantis, fratris filiæ custodienda susceperant. Erat tamen antè domandus Draco terribilis qui ejus, in quo crescebant horti aditum, nemini permittebat. Utrumque nihilominus ipsi ex voto cessit. Alii dicunt Atlantis operâ hic usum fuisse; quo tempore eum præstolatus cœlum tam diu suis humeris sustinuit.

Postremum tandem Eurysthei imperium fuit ut Canem Cerberum ab Inferis educeret; undè eadē operâ Theseum liberavit, qui Pirithoo amico suo comes illuc descenderat.

Tam

Tam inusitata fortitudine, & felicitate cœpit Hercules non tantûm, Regi Eurystheo, sed omnibus etiam terrarum principibus esse formidandus; & ex indè nullum monstrum fuit, quod non profligaret, expugnaretq;. Ita Busiridem Neptuni filium interfecit, qui dolo captos advenas per inauditam inhumanitatem jugulabat. Ita Cacum prædonem insignem tricipitem Vulcani filium trucidavit, qui ut in Æneide legimus in Aventino monte fœda populatione agros devastabat.

Per Caucasum montem iter faciens, Prometheum in libertatem vindicavit, & aquilam aut vulturem jecur ejus depascentē confecit. Ut lib: 1. cap: 3. memoravimus.

Pari felicitate sustulit Antheum, Telluris filium, qui invisam corporis molem, morum immanitate & sævitie superabat: hoc habens etiam singulare, quòd quoties terræ allideretur, hoc contactu recentes vires acciperet Quo comperto Hercules monstrum sublatum in àera, constrictum brachiis; suffocavit

Erat Heros noster robusto vastoque corporis habitu cui alendo modicus cibus non sufficiebat. Cùm ergò die quadam fame pressus, ruri ageret, in Theodamantem agros colentem incidit cui nequicquā reclamanti, & cum multa bile iniquitatem exprobanti bovem sustulit, totumq; in eodem vestigio abliguriit; unde nata illis regio-

gionibus consvetudo, bovem inter mille imprecationes Herculi in victimam immolandi.

Aliam expeditionem in Hispaniam suscepit, ubi Calpen ab Abyla separavit, ut per fretum Gaditanum viam Oceano inter utrumque montem aperiret. Hi montes sibi mutuo ex adverso oppositi, nimirum Calpe in Hispania, & Abyla in Mauritania, duarum columnarum speciem præferunt, quas Herculeas esse quidam asserunt; quibus hanc sententiam. *Non plus ultra*, insculpi voluit quasi mundi terminus is esset, aut expeditionibus suis ibi metam statuere coactus fuisset, in quibus nullis aliis armis usus est, quam clavâ Oleaginâ, quam Mercurio præsidi eloquentiæ, cui vim majorem armis, inesse agnoscebat, deniq; consecravit.

Juno tantam Herculis gloriam non sinè dolore incredibili videre poterat, ideoquè in eam curam tota incumbebat, ut vel illum perderet vel gravi aliquo infortunio implicaret: Nam, ut alia missa faciam quo tempore apud inferos versabatur, Lycum quendam Thebis proscriptum suscitavit, qui eo absente Thebas ex insidiis inopinato occupavit, Creontem Regem cum filiis interfecit, & jam prope aberat, ut Megaræ Herculis uxori, & Creontis filiæ vim inferret, cùm intereâ ab inferis Hercules opportunè supervenit, qui Lycum & com-

pli-

plices è medio sustulit. Sed Juno ultura injuriam, tantum ipsi furorem immisit, ut mentis inopi uxorem propriosque filios interemerit. Cùm autem deferbuisset insania, sibi restitutus, tantum mœrorem ex illa calamitate concepit. ut violentas sibi manus attulisset, nisi Amphitryone, Theseoq; interveniantibus, ab hoc consilio, ad saniora fuisset revocatus.

Verùm hic Heros tot Hostium spoliis dives tot exantlatis laboribus inclytus, tot editis facinoribus gloriosus, cùm nihil amplius superesset, quod vinceret præter se ipsum, propriâ victus libidine, propudiosam mulieribus servire servitutem incepit. Huc tandem invictum illud robur animi recidit; ut quem nec monstra, nec Tyranni potentissimi frangere potuerant, mulierum illecebræ enervarent. Harum una fuit Omphale Lydiæ Regina, quæ suis illum blandiciis sic emollivit, ut clavam colo, & leonis exuvias, puellari habitu commutârit, inter ministras hujus principis cubicularias cũ æterno nominis sui probro vitam reliquam transigens.

Captus deindè amore Dejaniræ, ut ea potiretur, Acheloum Tethydis filium oppugnavit qui se tanto hosti repellendo imparem sentiens, dolo rem aggressus, varias mox serpentis, mox tauri formas induit, sed amisso cornu quod Hercules ipsi detraxerat, ita cõfusus est; ut exindè sub forma flu

vii,

vii, qui ejus nomen habet, remanserit. Najades ejus filias tanto mærore ista calamitas afflixit, ut quæ cornu Patri ereptum reciperent, Amaltheæ cornu sibi à Jove donatum ipsi obtulerint: cùm enim Jupiter ex infantia nondum egrêssus, Nympharum ejus Nutricum curâ, lacte capræ cujusdam, quæ Amalthea dicebatur, nutritus fuisset, gratâ accepti benefici memoriâ, inter sidera capram retulerat; cornu ejusdem Nymphis tradito; quod ejus erat virtutis, ut quidquid cuperent, ex illo affatim suppeteret, quo factum est, ut *Abundantiæ cornu* diceretur, Hercules cum Deianira rediens ad fluvium substitit, ubi Nessus Centaurus suam illi benevolè operam pollicitus. Dejaniram tergo excepit per fluvium transferendam.

Sed perfidus, vix in ripa expositam violâsset, nisi parantem facinus, Hercules jaculo transfixisset; quo jam moriturus, nê inultus decederet togam suo tinctam sangvine sibi detractam Dejaniræ obtulit. asserens: si Hercules eam induisset, fore ut nullam aliam deindè mulierem adamaret. Cui nimium credula, togam hanc marito in Oeta monte sacrificanti per, Lycam famulum transmisit; sed eventu votis planè contrario, vix enim vestem illam corpori applicuerat, cùm Nessi sangvinis malignitas, qui venenum erat pestilentissimum, omnes subitò corporis partes pervadens, ârdorem tam furiosum in visceribus accendit,

dit, ut in rabiem, & desperationem actus, in ardentem rogum se conjecerit; cujus flammis consumptus in cineres abiit: Lycas famulus in mare se devolvit, ubi in rupem conversus est, & Dejanira dolore amens se clavâ mariti interfecit.

Hercules tamen priusquam efflaret animam, Philoctetum Pæanes filium comitem & amicum suum Jurejurando obligavit, ne cui unquam mortalium sepulchri sui locum proderet, eiq; sagittas suas Hydræ cruore imbutas, muneris locô donavit. Sed cûm ad Bellum Trojanum proficiscendum fuit, oraculo respondente, illam Civitatem fore inexpugnabilem, nisi cineres Herculis & sagittæ haberentur, locûm, ubi eos occultaverat, prodere coactus est; ne autẽ datam fidem violaret, pede tantûm intento, eas indicavit; quod non impunè tulit. Nam in itinere Trojano, pedem, suæ instrumentum perfidiæ, unâ sagittarum læsit, vulnere tam intolerabilem mephitim exhalante, ut in Lemno Insula, omnium solatio destitutus, subsistere coactus fuerit. Græci tamen sinê sagittis Herculeis, conatus suos omnes adversus Trojam irritos esse advertentes, Ulyssem ablegârunt, qui eum in castra adduceret. Ubi deindè operâ Machaonis, expertissimi, celeberrimiquè medici, Æsculapii filii, tandem convaluit.

CAPUT

CAPUT III.

Historia Thesei.

THESEUS filius Ægei Atheniensium Regis, qui Ægeo mari nomen dedit. Vixit ætate Heeculis, quem aliqua sangvinis conjunctione attingebat. Ideo & frequens ejus fortunæ socius & virtutis æmulator egregius extitit, postquam Medeæ Novercæ insidias elusisset, quæ propinató toxicô, illum vitâ & spe in Regnum succedendi, exuere tentaverat.

Pars potissima magnatum, & principum ejus tempestatis prædones erant, qui felicitatem non sperarent satis cumulatam se posse consequi, nisi quam creasset subditorũ populorum miseria, & eorum quos capere poterant, calamitas. Talis erat in Sicilia Phalaris, qui homines in tauro æneo vivos jubebat includi, qui cùm subjectis ignibus ardentes miserè ulularent, eorum clamoribus per tauri fauces emissis, & speciem quandam mugitûs referentibus, sese homo barbarus oblectebat.

Theseus tantam nefariorum hominum iniquitatem detestatus: ut qui bonitatem indolis cum excellitate animi conjunxerat, statuit Tyrannorũ audaciam reprimere, & quibus alios torquebant suppliciis, iisdem in eos animadvertit. Hoc consilio Scironem quendam aggressus est: qui prætereuntibus omnibus in mare demergendis pascebatur; deinde

deinde Procuſten, qui ſi quē, deprehenderat, vel quadratim dilaniari, vel ad lectum ſuum diſtendi, & ex cruribus quantum eminebat, reſecari imperabat; hunc utrumque pari ſupplicio ſuſtulit. Inde ad profliganda monſtra progreſſus, quæ identidem naſcebantur, Marathonis Taurum, prodigiosâ magnitudine formidabilem, proſtravit, tum aprum quem in Regem Calydoniæ Diana irritata immiſerat, Meleagro hujus Regis filio belluam fruſtra proſequente: nec potuit ſinè Theſei auxilio monſtri infeſtationibus patria liberari: unde natum proverbium *Non ſine Theſeo.*

Hic mihi breviter perſtringendum venit, hanc Victoriam Meleagro fatalem extitiſſe: qui cûm hujus belluæ caput cuidam ſibi amiciſſimo obtuliſſet, aliorum quorumdam æmulatione graviſſima contentio exorta eſt, in qua ejus avunculi occubuere hanc cædem Althæa eorum ſoror & principis mater modo inuſitato ulciſci voluit. Nam quo tempore Maleager naſcebatur, cûm Althæa animadvertiſſet, â Fatis vitam infantis iiſdem definiri ſpatiis, quibus exarſurus erat titio, quem incubili ardere cernebat, arreptum ſubitò lignum extinxit, ſervandum q; magno ſtudio ſepoſuit Sed hac occaſione utendum rata ob fratrum cædem Meleagro indignata fatalem ſtipitem ignibus conſumendum rurſus injecit, quo ſenſim exardeſcente, tantâ eodem tempore vehementiâ

Malea-

Meleager toto corpore exæstuare cæpit, ut malo altiùs serpente violentâ morte extinctus sit.

Nunc ad Thesei historiam regredior, inter cujus egregia facinora Principem sibi facilè locum vendicat illustris illa victoria, quam de Minotauro, supernè homine, infra Tauro, reportavit: hujus ortum libro primo descripsimus ubi Pasiphaen, Minois Cretensium Regis uxorem, hoc monstrum ex Tauro peperisse diximus. Ut autem quomodo Theseus hoc negotio implicatus fuerit intelligamus, memoriâ repetendum est, Minoem Atticis (ut patratam ab eis in in Androgeum filium necem ulcisceretur) bellum intulisse, cumque Magarenses, præsio superâsset, parique victoriâ Athenienses sub jugum misisset, ut in tributum annuum certum adolescentum numerum sibi mitterent, quos Minotauro istì in prædam pabulũ que obijciebat. Contigit igitur aliquando, ut Theseus ultrò ad numerum illorum accesserit, qui ad tam barbaram lanienam mittebatur, eo consilio, ut monstrum suis civibus tam fatale exterminaret. Locus ubi moràbatur, erat Labyrinthus, opus à Dædalo architectatum, tam variis implicatum viarum anfractibus, ut supra retulisse memini, ut ex iis, qui intrô pedem tulissent, nemo se, extricare exeundo posset. Sed Theseus, ut erat mira sagacitate præditus, jam prospexerat quâ ratione huic

pos-

posset incommodo occurrere, Ariadnæ Regis filiæ benevolentiam sibi demeruit, à qua filium accepit, cujus ductu, trucidato Minotauro, se Labyrinthi ambagibus feliciter explicavit, & Ariadnam multis sibi jam promissis conciliatam Athenas abduxit. Eã tamen in itinere destituit, cum Baccho, eã sibi in conjugem deposcenti in Naxo Insula tradidit, acceptâ vicissim in memoriam beneficii Coronâ, quæ deinde inter astra relata est.

Navis qua Theseus in Cretam Insulam evectus fuerat velis atro, lugubrique colore tinctis ferebatur: Ægeo tamen patri promiserat se usurum candidis, si victor abscederet. cujus faciendi oblitus est, insolenti abstractus lætitiâ, quam de tam glorioso reditu conceperat: unde factum est, ut pater, qui spem inter metumque suspensus, ejus reditum in horas præstolabatur, viso à longê Thesei filii navigio luctum velis ostentante, mœrore amens, in mare se demerserit.

Cæterùm hæc navis ab Atheniensibus singulari curâ conservata est, velut pretiosum illius victoriæ monumentum, quæ tantam felicitatem suæ reip. attulerat; reparabant in ea magna solicitudine, si quid temporum injuriâ computruisset. Unde familiare fuit ejus temporis Philosophis teste Plutarcho, exemplum ab illa navi desumere, cum de mediis loquerentur, quibus in

corporum elementarium, eorum māxime, quæ accepto pabulo ſuſtentantur, conſervatione, natura rerum parens utitur.

Felicior ſubinde fortuna Theſeum excepit, Pirithoum Lapitharum Theſaliæ populorum Regem ingens cupiditas inceſſit tantum Heroem coram aſpiciendi. Ergô prædabundus ſe in ejus terras immittit, ut eum ſaltem ad ſui defenſionem compelleret. Dum variante fortuna utrinque concurritur, ambo Principes ſibi mutuò occurrerunt, hæſeruntque in veſtigio:alter alterius ſpeciem pulchritudinemque demirantes, ut in mutuos amplexus ruerent reciprocū auxilium ſibi pollicentes, ſicubi alter alterius ope indigeret, ſancirentque amicitiā, omni poſt tempore ſanctiſſimè excolendam.

Pirithous itaque, Theſeo in partem laboris veniente, Centauros pœnis ſæviſſimis multavit quòd Lapithis graviſſimis injuriis affectis, cædem etiam eſſent machinati, in convivio ad quod eos invitârat, primâ nuptiarum die, quas cum Hippodamia contraxerat. Centauri erant populi, qui artem, equitandi primi repererant, quam ob cauſam ſemihomines & ſemi-equi ab iis exiſtimati ſunt, qui illos equitantes videbant, unde & Hippocentauros appellabant.

Hunc etiam effectum habuit ex contracta cum Theſeo amicitia Pirithous quod in Helena rapienda ejus operâ plurimum uſus fuerit, ut ſuo loco dicemus: Hunc etiam comi-

comitem individuum habuit, cùm rapturus Proserpinam iter ad Inferos suscepit. Sed hujus consilii eventus eorum votis non respondit, Plutone, cujus imperio detenti sunt negotium intervertente.

Certè multos reperias, qui afferant, Pirithoum ad parem cum Ixione pœnam condemnatum, Theseum verò, cum reperto fortè lapidi insedisset, ut à laboribus, quos in illa expeditione graves exâtlaverat, tantisper respiraret, tanta vi affixum saxo remansisse, ut nullo unquam conatu se inde extricare potuerit, donec Herculis eôdem descendentis fortitudine liberatus est. Neque tamen ita feliciter attolli potuit, quin infami vulnere cutem velut glutine cum lapide jam coalitam amiserit: cumque fatofunctus illuc iterum devenisset, eodem supplicio â Plutone damnatus est, quod tam temerario consilio suæ conjugi insidias adornâsset.

Capite præcedenti diximus. Theseum sibi Hippolytam Reginam Amazonum conjugio copulâsse, ex qua filium à matre dictum Hippolytum, aliàs Antiopum, suscepit. Phædram deinde Minois filiam uxorem duxit, quæ Hyppolyti privigni amore capta, cùm castissimi juvenis pudicitiam expugnare non potuisset, amore in odium verso apud Theseum patrem illati per vim stupri innocentem insimulat. Ille credulus miserũ principem à se abegit, imprecatus ut tantũ

crimen, quod ipsi per calumniam objiciebatur, Neptunus digno supplicio vindicaret. Ratum fecit votum Neptunus immisso monstro marino, cujus aspectu equi exterriti curru, quo vehebatur, everso miserum per vepres & saxa distraxerunt, contriveruntque. Quod ubi rescivit malè sibi conscia mulier, scelus suum, & crimen falso affictum apud maritum confessa, gladio se transfixit, Theseo nimiam crudelitatem detestante. Motus commiseratione Æsculapius Hippòlytum postea ad vitam revocavit.

CAPUT IV.

Historia Castoris & Pollucis.

COMMUNIOR Pöëtarum sententia obtinuit, Ledam Tyndari Oebaliæ Regis uxorem, post magnam cum Jove familiaritatem duo ova peperisse, ex quorum altero de Jovis semine concepto Pollux & Helena ex altero quod erat à Tyndaro Castor & Clytemnestra prodierunt. Hoc tamen non impediit quo minus uno omnes nomine Tyndarindæ dicerentur, quód ex eadem matre Tindari uxore extitissent.

Duo fratres Castor & Pollux summa animorum conjunctione amicitiam coluêre neuter dissentiebat ab altero, socii semper individui. Sed solus Pollux nascendi conditione immortalitatis jure fruebatur. Uterque è Jovi in deliciis & amoribus. Cùm

ergo fratris esset amantissimus summâ contentione, ab Jove impetravit, ut Castorem etiam filii locò haberet; ita ut à Græcis Dioscuri, hoc est Jovis filii, per excellentiam vocati sint. Jupiter deinde consultum duxit, ut Pollux cum Castore immortalitatē suā communicatā vellet, ideoquè alternis vivebant & moriebantur vicib9 do. nec in signa Zodiaci relati sunt, ubi signū cœleste conficiunt, qui *Gemini* appellantur.

Ad hoc tamen tam illustris gloriæ fastigium nequaquam evecti sunt, nisi posteaquam heroicis facinoribus tanta se laude dignos reddidêre; quale fuit, è manibus Thesei Helenam sororem raptam liberare; cujusmodi & illud, liberam tutamquè à Pyratis & prædonibus maritimis navigationem præstare; undè in numerum Deorum maris accersiti sunt, fueruntquè ex iis quos vulgo *Apotropæos* dicebant. hoc est, malorū depulsores adeoquè agnis candidissimis pro sacrificio placabantur.

Apud Romanos in summa semper fuerunt veneratione, quôd eorum opem in extremis necessitatibus experti fuissent, ut in prælio apud Rhegillam paludem adversùm Latinos commisso: quibus idcirco insigne templum dedicârunt, eorumquè nomina tantum in jurando ut plurimum usurpabant. Usitatum certè solis mulieribus jurandi adverbium *Æcastor*, ut virorum *Mehercule* vel *Ædepol*,

id eſt per ædem Pollucis, ſicut per *Æcaſtor*, ædem Caſtoris intelligebant.

CAPUT V.

Hiſtoria Orphei.

DE antiquis Cantoribus atq; Muſicis mira Poëtæ fabulantur; ut de Amphione quodam, qui ſaxis in murorum formam ordinemquè, ad harmoniam inſtrumenti, quo canebat, confluentibus, Thebanorum mænia ædificavit.

Magnam ſibi etiam Arion gloriam eâdem canendi arte peperit, ut ex ſequenti patebit Hiſtoria. Hic cùm ex Italia in Græciam traiiceret, videretquè à nautis qui nummis ſuis inhiabant, ſibi necem imminere, non nihil ſpatii ſibi gratiæ locô concedi poſtulavit, quo veluti Cygnus moriturus, ſuas ſibi exequias caneret, quòd cùm impetrâſſet, lyrâ ac voce tam ſvavem ſymphoniam edidit, ut Delphini tam grato cōcentu magno numero undiq; ex fluctibus emergentes, navem circumſteterint, in quorum tergora inſiliit, ut prædonum inſidias evitaret.

Nec ſine eum ſpes fefellit· exceptus enim Delphini tergo Corinthum evaſit incolumis, ubi per humaniter à Periandro Rege acceptus eſt ejus juſſu prædones nautæ graviſſimo ſupplicio ſunt affecti, ſed nec ſuum etiam Delphino ſoſpitatori præmium defuit, qui Deorû voluntate in aſtra relatus eſt

illius

lius officii intuitu, quo innocentem & infortunatum fuerat profecutus.

De Satyro Marsia, multa dicere nihil attinet, qui cum eâdem arte supra vulgus aliquid posset, eò vanitatis & arrogantiæ devenit, ut cum ipso etiam Apolline pro palma se concertare velle assereret, eumq; prædenter provocaret. Sed cùm turpiter victus cedere coactus fuisset, ipsi, ex Musarū sententia, in justum temeritatis supplicium vivo, cutis detracta est, ut in Historia Apollinis retulimus.

Similis fuit illa, quæ inter Apollinem itē & Panem, montium & Pastorum Deum nata est controversia. Hic cùm artem ad numeros inflandi fistulam calleret, inductus à Ruricolis: ut sibi persvaderet neminem esse omnium in orbe universo, qui modulando secum conferri posset, tantum sibi arrogavit, ut Lyram Apollinis suæ cedere debêre fistulæ jactitaret. Accessit Midas Rex Phrygiæ, qui rudis licet & impoliti esset ingenii, ausus est inter arbitros ad ferendam sententiam considere, à quibus omnibus victoria Pani adjudicata est, Apollo indignatus, stupidum Judicem asininis multavit auribus, ut eum stoliditatem suam dedoceret. Hic idem fuit, qui in delati officii cujusdam præmium, hunc à Sileno favorem obtinuit, ut quidquid tangeret, in aurum mutaretur; cujus eum voti postea pænituit: cùm enim ipsi etiam cibi, quos tan-

 gebat,

gebat, in aurum obdurescerent, licet aurea haberet omnia, inediâ pœnè emori cogebatur.

Sed ne diutius iis recensendis immorer, qui Musicæ peritiâ nomen suum celebrârût, communis est omnium opinio, Orpheum, præter Pòësis & Philosophiæ scientiam, palmam reliquis canendo præripuisse.

Vocem cum Cythara tam svavi concentu maritabat, ut fluviorum rapacissimorum cursus sisteret, ventus & tempestates coërceret, feras immanitate terribiles mansuefaceret, arbores etiam ipsas & rupes ad saltûm adigeret.

Sed nunquam illustrius artis suæ specimē edidit, quàm cùm Eurydicem uxorem ab inferis revocavit. Hæc Aristæum, Regem Arcadiæ, vim pudori suo molientem fugiens, serpentem fortè calcavit, cujus lethifero morsu interierat. Orpheus conjugis vices miseratus, ad inferorum usque adyta penetravit, ubi incredibili cantûs svavitate Plutonis & Proserpinæ animos ita demulsit, & quidquid ibi ferum erat ac inhumanum, sic delinivit, ut Eurydicem secum revicturam abducere sit permissus, eâ lege, ut secuturam à tergo conjugem, donec terras attingeret, nō respiceret. Sed cùm moræ impatiens, & amore victus, incautus retrospexisset, an verè sequeretur, rursûs ad stygem ablata est. Ergo concepto ex tanta calamitate mœrore gravissimo, cœlibem vi-

tam

am agere ſtatuit, & omni erga fœminas amori renuntians, alios etiam in ſuam ſententiam pertrahere conabatur. Quo tantũ ſibi odium apud mulieres in Tracia conflavit, ut ab iis diſcerptus ſit, cùm feſta Bacchi pro more in furias effuſæ celebrarent. Sed in Cygnum deinde mutatus eſt, ejus Lyrâ inter aſtra locum occupante.

CAPUT VI.

Hiſtoria Iaſonis & Argonautarum.

PELIAS Rex Theſſaliæ, Jaſonem nepotem ſuum educandum ſuſcepit, in quo cùm raræ indolis excelſiquè animi indicia obſervaret, veritus, ne paternum Regnum, quo ipſe potiebatur, repoſceret, ut hoc ſe timore liberaret, ad aureum vellus auferendum juſſit eum navigare.

Memoriâ repetendum, quod ſupra diximus de Æeta Rege Colchidis, qui hunc theſaurum in Luco Marti ſacro aſſervabat: adhibitis ad cuſtodiam ingentibus Tauris æripedibus, horrendas flammas naribus exſufflantibus, præter Draconem inuſitatæ magnitudinis, alioſq; armatos complures, qui dentibus Draconis in terram excidentibus procreabantur.

Jaſon ut tantum opus exequeretur Argo in mandatis dedit, ut ſibi navem appararet, quæ ab Architecto nomen ſortita eſt: ligna ex

ex Nemore Dodonæo petebantur, cujus ipsæ arbores editis oraculis celebrabantur; quâ virtute in excisis trabibus remanente, sermocinari etiam ipsa navis potuit, & verba facere nonnunquam audiebatur.

Navigationis comites ultrò se ad tam illustre facinus gloriæ aviditate adjungentes habuit Heroes ex Græcia nominatissimos, quales fuêre Hercules, Theseus, Castor & Pollux, Orpheus Typhis, Lynceus, aliiquè, qui *Argonautarum* nomen assumpserunt: Typhis ad navis sedebat gubernaculum; Lynceus, qui oculorum acie valebat acutissimâ, syrtes scopulosq; sub undis latitantes, ne navis illuc impingeret, prospiciebat: Orpheus cantu & Cythara labores navigationis & tædia sublevabat: Sed cæteris oneri erat Hercules, graviq; incommodo, tum quia pondere corporis navem pene ad fundum deprimebat, tum etiam quia plurimũ annonæ absumebat. Accedebat quòd remũ suum identidem frangeret. Sed percommodè accidit, ut eò tandem liberati fuerint, eventu quodam cæterorum vota secundante. Cùm Hylam, comitem sibi charissimum, siti pressus vehementi, misisset in continentem, ut recentem sibi aquam, afferret, Hyla in fontem unde haurire voluerat delapso, rumor in navi percrebuit, eum à Nymphis raptum esse. Hercules ergo relictis, sociis comitem quæsiturus, profectus est. Ex hoc casu ortũ duxere illa festa, quæ in illa regio-

ne

ne celebrabantur; quibus incolæ per avia, & devia ſylvarum Hylam inclamantes diſcurſabant.

Interea variis incommodis Argonautarũ patientia inter navigandum exercebatur. Ingens ſubière periculum, cùm per Symplegades ægrê admodum penetrarent, quæ Cyanei ſcopuli nominabãtur trans Boſphorum Traciæ, in ipſo Ponti Euxini oſtio, quæ coire, & intercludere tranſitum videbantur. Sed tandem ſalvi in Colchidem appulêre.

Jaſon ratus Medeæ Regis filiæ favorem ſibi cùm primis fore perutilem, in ejus ſe benevolentiam inſinuavit, quæ magicis artibus & incantamentis, quibus valebat plurimum monſtra ad cuſtodiam Aurei velleris diſpoſita gravi ſopore oppreſſit, quo deindè feliciter, ille potitus eſt.

Patrato facinore Jaſon ſibi fugâ conſulere debuit, cùm Medea, quam & in conjugem accepit licet tam expers omnis humanitatis foret, ut Abſyrtum fratrem, ſecum aſſumptum diſcerpſerit, artubus per viam late diſperſis, ut Æeta patre, qui eos inſequebatur, iis colligendis diſtracto, haberent otium, quo ſe commodè ſubducerent.

Vix in Theſſaliam venerant, cùm Æſonis ſoceri gratiam occupatura, eum ſuis incantationibus & præſtigiis jam decrepitum primæ juventuti reſtituit, odium deinde ultura, quo Pelias eos perſequebatur, cupiditatem ejus filiabus injecit, eandem

artem in patre, jam extrema ætate confecto, experiendi. Et jam persvasæ, patris membra in minuta, dissecta partes, cum herbis ab ipsa acceptis in aheno decoxerant; sed eventu spem evertente, fraudem demum agnovêre, non sine ingenti dolore, quòd tam crudeli morte proprium patrem sustulissent.

Vivebat interim cum Jasone conjuge suo Medea conjunctissimè, ex quo jam duas proles susceperat. Sed Jason Corinthum profectus eamquè pertæsus, cùm Creontis Regis aulam frequentaret, Creusæ Principis amore captus, eam sibi cojugem adjunxit beneficiorum oblitus, quibus Medeæ obligatus tenebatur.

Medea injuriam ulcisci statuit, & hanc mutationem sibi non displicere simulans, novæ sponsæ capsulam monilibus, alijsq; rebus pretiosis refertam transmisit in gratulationis speciem, ob felices cum Jasone nuptias celebratas. Sed erant omnia tot maleficiis, fascinisquê illigata, ut apertâ arculâ ignem evomuerit, quo universum palatium, cum sponsis & Creonte patre, miserabili incendio conflagraverit.

Jason maleficii pœnas repetiturus ad Medeam advolat: præstolatur illa imperterrita, in ejus oculis prolem utramque exeo susceptam jugulat; deindè in binos Dracones præstigiis advocatos insilit, à quibus per âera Athenas translata est, ubi Ægeo Regi

Regi nupta, Medum ex eo peperit. Cùm Theſeum veneno tollere quæſiviſſet, in fugam cum Medo filio compulſa, in illam partem Aſiæ ſe tranſtulit, quæ nomen ab ea ſortita eſt, ubi reliqvûm vitæ exegit.

CAPUT VII.

Hiſtoria Cadmi & Thebanæ Civitatis.

AGENOR Rex Phœniciæ Europam filiam à Jove raptam, ut in lib: 2. cap: 3. retulimus, cum ingenti dolore intelligens, Cadmum filium in varias orbis Regiones ad eam inquirendam dimiſit cum imperio, ne unquam, niſi ea repertâ, in patria compararet. Cadmus diverſas provincias pervagatus, cùm ne veſtigium quidem illius reperiſſet, animi dubius Delphos conceſſit, quid ſibi agendum eſſet, Oraculum conſulturus. Hinc reſponſum tulit Bovem ipſi obviaturum, à quo deſignandus locus, ubi domicilium figeret, & novam urbem excitaret: porrò Bovis occurſus Bœotiæ nomen, dedit Regioni. Deos igitur ſacrificio placandos ratus, ſocios ad Dircem fontem aquatum miſit. ubi â Dracone ex improviſo impetiti in prædam belluæ ceſſerunt. Cadmus inops conſilii, à Minerva in ſpem erectus eſt, juſſuſquè ad conficiendum Draconem illum proficiſci, & excuſſos dentes in terram ſeminare; quo facto ingens hominũ arma-

armatorum exercitus ex illo semine prodiit: qui statim mutuis sese vulneribus conciderunt, quinis tantum sortem meliorem eligentibus; qui Cadmi obsequiis volentes se addixerunt, & ad condendam Civitatem, patriamque, incolis frequentandam, suam operam liberaliter obtulerant.

Ita Thebana Civitas ædificata est: ubi plures annos regnum obtinuit, numerosa prole auctus. Inter quas Ino, Semele Bacchi mater, & Agave, quæ in consortio Mænadum aliquando in furias acta, Pentheum filium, hos enormes ritus carpentem interfecit.

Cadmum deindè cum tota familia gravissimæ calamitates excepêre: ita ut urbem suam Amphioni invadenti cedere sit coactus, qui postea ad lyræ modulos Civitati mœnia exstruxit, & cum uxore ad Illirycos; se recepit, ubi ex voto in serpentes ambo sunt conversi.

Hic silentio præterire non debeo Civitates Thebarum nomine plures antiquitùs extitisse. Nam inter alias una fuit in Cilicia Andromache Hectoris conjugi natalis, quam Græci ad obsidionem Trojanam proficiscentes ferro flammaquè exciderunt. Aliam Ægyptus habuit, reliquis amplitudine celebriorem & centum portis insignem, quæ Provinciæ Thebaidi nomen fecit, tot olim Anachoretarũ cœnobijs frequentatæ. Omnes tamen famâ gloriaquâ superavit, quæ in Bœo-

Bœotia sita est, sivè ob maxima bella, quæ ibi gesta sunt, sive ob Heroes illustrissimos, ut Epaminondas, Pelopidas aliosque, quos Græcia ad sempiternum decus protulit; tum vel maximè: quòd natalis fuerit Baccho, Herculi, Pindaro, qui inter Pòëtas Lyricos principatum obtinuit. Præluserant hujus felicitati apiculæ, quæ infantis in cunis jacentis, os certatim involantes; mel in pu- elli labiis posuisse memorantur, Præsagium etiam futuræ gloriæ fuit, quòd diem ejus natalem Nymphæ, cum Pane aliisq; accolis festâ lætitiâ celebrarint, Ipse Alexander Magnus tanti virum fecit ut cùm Thebas militum libidini diripiendas; traderet, Pindari domum servari voluerit, iisq; omnibus parci, qui ex ejus familia essent oriundi.

CAPUT VIII.

Historia Oedipi.

LAUS Thebarum Rex, ductâ in conjugem Jocastâ Creontis Thebani Dinastæ filiâ, ex Oraculo futurum intellexerat, ut à prole ex illo matrimonio suscipienda occideretur, Mandavit itaq; Jocastæ, ut fœtus omnes à primo statim ortu suffocaret. Sed cùm Oedipum peperisset; tam barbarum facinus execrata, militi jugulandum dedit, qui & ipse innocentis puelli commiseratione motus, plantulas perforare satis habuit, vimineque

tra-

trajecto, ad Cytheronis montis arborem suspendit, brevi, ut putabat, inediâ moriturũ. Cæterùm cùm Phorbas Polybii Corinthiorum Regis pastor, illâc iter faceret, audito vagitu accurrens puerum servavit, in quo cùm raram pulchritudinem futuræ indolis indicẽ observâsset, eũ Reginæ dominæ suæ magni muneris locò donavit à qua magno studio educat9 & à pedib9 ex vulnere tumẽtib9 Oedipus est appellatus, quæ vox Græca plantarum tumorem latinê significat.

Grandior deindê natu factus, se Polybii filium non esse, ut putaverat, intelligens, de patre oraculum consuluit. à quo edoct9 se in Phocide reperturũm, illuc contendit, ubi Carum Patrem in exorta fortè in populo seditione compescenda laborantem imprudens interfecit, cumquè de patre nihil certi comperiisset, Thebas rêvertit.

Interea Juno adversus Thebanos odio stimulata, monstrum immisit Sphingem, cujus caput puellæ, corpus canis, alæ volucris, ungves Leonis, cauda Draconis similitudinem referebant. Hoc monstrum scopulo, viæ imminẽti insidens, insolublia ænigmata prætereuntibus proponebat, & quotquot dissolvere non poterant, interficiebat. Hinc magna per Regionem undiquè populatio, aditu jam propè omni ad Civivitatem intercluso Oraculum responderat, ita in fatis esse, patriam â tanta calamitate non priûs liberandam, quâm propositi ænigmatis

sensus

ſenſus ex verò redderetur;quodnã videlicet animal mane quadrupes, meridie bipes veſperi tripes eſſet. Creon qui Lajo mortuo Regnum occupaverat, totâ Græciâ publicavit, ſe quæſtionem ſolventi, Regnum ſimul & Jocaſtem Laij viduam ceſſurum. Oedipus gloriæ cupidus ſeſe obtulit, & ænigmatis nodum ita diſſolvit, ut hominem eſſe interpretaretur, qui mane, id eſt, in vitæ exordio manibus & pedibus reptando, ac veluti quadrupes incedit: Meridie, in firmiore ſcilicet ætate, ubi vis ei ac robur acceſſit, ſuis inſiſtit pedibus, & incedit bipes: veſpere demum, ingraveſcentibus jam annis, languentibusquè ætate viribus, baculum veluti pedem tertium aſſumit ſicq; incedit tripes.

Sphinx hanc ſolutionem tam ægre tulit, ut alliſo ad rupem capite ſe interficiens, patriæ magnam quietem attulerit. Oedipus verò in præmium Regno admotus, ex Jocaſta, quam ſuam eſſe matrẽ ignorabat, duos filios, Etheoclem, & Polynicem; totidemq; filias, Antigonam & Iſmenem ſuſcepit.

Sed hac felicitate brevi poſt deturbatus eſt. Nam Dii ob Lajum crudeliter trucidatum nondum placati, peſtem in Thebanos immisêre, quæ, ut Oracula prodiderant, non-niſi cædis auctore in exilium relegato, debebat extingui. Ergo in auctorem fit diligens inquiſitio, & tandem per Necromantiam, Oedipus facinoris reus eſſe deprehenditur.

Oedipus compertâ eorum, quæ contige-

rant,

veritate, incestas cum matre nuptias detestatus, tantorum á se scelerum pœnam repetens, utrumq; sibi oculum effodit, & voluntario exilio peregré proficiscens, Etheocli, & Polynici filiis Regnum reliquit.

CAPUT IX.

Bellum Thebanum.

HOC bellum amplissimam veteribus Pôëtis suggessit materiam, in quo stylum suum egregie exercerent, ut è Latinis Statio, qui libris duodecim illum complexus est; & è Græcis Antimacho, qui ætate Platonis hac super re 24 libros conscripserat, quibus tamen sola obsidionis illius celeberrimæ præludia, & apparatus recensuit. Nos bellum à suis principiis repertamus.

Etheocles, & Polynices ex Oedipo fratres, ne parte Regni singulis attributâ, velut corporis in membra dissecti vires attererent; utriq; expedire judicarunt, si in diverso imperio præessent alternis, & in orbem quotannis mutuò sibi Regnando succederent.

Etheocles igitur, ut nativitatis ordine, ita & dignitate primus regnavit: sed anno imperii evoluto, tanto gubernandi amore inescatus fuit, ut sceptrum sibi ab altero è manibus eripi pati non posset.

Polynices armis occupaturus, quod jus & ratio ipsi concesserat, urbem obsidione cingere

gere ſtatuit, Adraſto, Argorum Rege in belli ſocietatem advocato, quorum jam fœdera injerat, ejus filiâ in conjugem acceptâ. Nec Adraſtus genero defuit, ſed collectas ex toto Regno copias, & acceptos â confœderatis ſibi principibus ſubſidiariorũ manipulos, in ſuppetias miſit.

Thebis ê contra ad egregiam omnia defenſionem parabantur, & Tireſias artis Magicæ peritus, Martem faventem pollicebatur ſi tamen Menecæus Creontis filius, & ex Cadmi poſteritate ultimo, ſuam pro ſalute patriæ vitam ſacrificaret. Durior erat conditio, quàm ut Creon ad eam deſcenderet. Sed Heros fortiſſimus urbe egreſſus, in omnium ê mœnibus proſpectantium oculis gladium ſibi per viſcera tranſadigit, patre necquiquam obnitente.

Fidem oraculo fecit conſecuta Thebanorum in ſuis adverſus obſidentes eruptionibus felicitas, Argis omnibus ad internecionem deletis, ex quibus ſolus Adraſtus ſuperfuit. Inter cæſos celeberrimus fuit Hippomedon; qui gigantea corporis vaſtitate ſpectabilis inſculptam Argi toto corpore oculati imaginem ferebat in clypeo, ſolo aſpectu formidandus.

Eandem fortunam expertus eſt Parthenopeus cujus laudem hoc uno abſolvam encomio, quod moribus, & imperio matrem exprimeret Atalantam, Principem inter Argos ſœminam, quæ jaculando currendoque ma-

magnam sibi famam conciliaverat; tam excelsa supra sexum animi magnitudine eminens, ut nullum de nuptiis cum ullo cõtrahendis sermonem admitteret, nisi cum aliquo ex ætatis illius Heroibus, à quo in exercitationibus illis vinceretur. Quod Hippomenes præstitit, sed quia in veneratione Cybele debita, nescio quid neglexerant, alter in Leonem, altera in Leænam conversa est.

Pari facto Tydeus periit; habitu quidem corporis infra mediocritatem, sed qui animi excellentia & generositate, hunc qualemcunque defectum compensaret. Cùm enim ad Etheoclem de prætensionibus Polynicis tractaturus, ablegatus esset, indignatus se actum agere, re infectâ ad castra reversurus singulos aulæ Thebanæ Duces in arenam provocavit, secum eo pugnæ certaturos, quod ipsi eligerent; omnesq; prostravit quotquot aleam subire ausi fuerant. Hanc suæ gentis ignominiam non ferentes, ex fortissimis quinquaginta ad trucidandum per insidias Tydeum in itinere statuerunt quos & cecidit omnes præter unum, quem ad Polynicem futurum cladis nuncium incolumem remisit. Sed ut est fortuna bellorum instabilis, telo haud multò post intra pectus excepto vulneratus est, cujus mortẽ vindicatur9 Amphiara9, militẽ qui telũ emiserat, detruncavit, & caput moribundo detulit, quod, velut oestro percitus, dentibus lani-
avit,

avit, excussumq; cerebrum avidè deglutiit. Tantæ inhumanitatis indignatione, Minerva adeo commota est, ut promissam immortalitatem antea barbaro negaverit, translato ad filium ejus Diomedem beneficio.

Amphiaraus artis Magicæ peritus, Dux & ipse in exercitu non ignobilis certò sibi illa in obsidione occumbendum prospiciens, latebras quæsiverat, ne illuc proficisci cogeretur. Sed ab uxore proditus, & exercitum sequi ab Adrasto jussus, horrendo mortis genere vitam terminavit: miserum enim fugam meditantem, cum curru quo vehebatur, ingente hiatu dehiscens terra absorbuit. Sed postea Diis adscriptus Oraculis tota Græciâ nominatissimus evasit:

Tandem singulari inter utrûque fratrem Etheòclem & Polynicem certamine controversia omnis decidi debuit in quo mutuis vulneribus ambo ceciderunt. Neq; tamen horum sangvine tanti belli incendium extingvi potuit, ipsæ ex Orco furiæ locum illum occupârunt, ubi ab Antigona sorore tumulatum erat utriusq, cadaver, quarum operâ Malus Granata ibi excrevit, undè sangvis manabat uberrimè, in signum odii immortalis: injectis deindè in eundem rogum cadaveribus, flamma se divisisse dicitur, tanquam inimicitiarum particeps omni conatu ad uniendos ignes frustra adhibito; ita ut cadaver Polynicis seperari debuerit, seorsim tumulandum.

CA-

CAPUT X.

Historia Antigoni, & belli Thebani Prosecutio.

CREON, qui voluntariâ abdicatione Oedipo Regnum tradiderat, hoc cum liberis mortuo, revoluti fasces imperii cũ summa rursum potestate capesivit; Regno igitur restitutus hoc primô curavit, ne sepeliendo Polynici locus daretur ullus, volens eum à canibus, & feris laniari, qui pietatis oblitus, externo milite patriam oppugnâsset.

Nullis tamen minis Antigonam demortui germanam deterrere potuit, quominus silentis noctis beneficio in terram clãculum defoderet. Sed comperta fraude cadaver effodi Rex inhumanus voluit, & volucribus exponi laniandum; quod cùm Antigona, iterum pararet subducere, ab exploratoribus capta, sententiam accepit, ut viva sepeliretur, cujus executionem elisis laqueo faucibus prævenit.

Pœnas dedit tantæ atrocitatis barbarus: quo enim tempore hæc gerebantur, Hemon ejus filius, Antigonæ Amasius, quam & sibi in conjugem brevi post futuram designârat, futurus ad inferos amicæ comes, ferro vitã ademit, & Euridice Creontis uxor, doloris ex filii morte impatiens, sibi pari insania violentas manus attulit.

Atque hæc materia fuit, de qua Sophocles tragædiam conſcripſit, quâ coram populo Athenienſi exhibita, tantum applauſum tulit, ut Samum Inſulam cum imperio adminiſtrandam in laboris & induſtriæ præmium acceperit.

Sed de Argis videamus, qui & ſpe obtinendæ Civitatis, & deſideratis ſuorum quam plurimis, omnem late planitiem prope Thebas cæſorum cadaveribus opertam reliquêre. Quod erat, in illa præſertim hominum cæcitate lamentabile; putabāt miſerorum manes à Cymba Charontis tam diu excludi, & diuturnâ expectatione ſuſpenſos languere, donec eorum corpora ſepulchro donarentur.

Adraſtus ergo cū Creonte per Legatos egit, ne vellet extremis hiſce officiis mortuos, defraudari: ſed nihil preces, nihil pietas ad emolliendum barbari animum valuêre. Adraſtus ad belli remedia converſus, cùm hoſti potentiſſimo armis expugnando impar eſſet, Theſei Athenienſium Regis ope implorata validiſſimum coëgit exercitum, quo tandem id effecit, ut cæſorum cadavera terræ mandarentur.

Solus Capaneus hoc beneficio excluſus, diviſo à cæteris rogo conflagravit, quod ob blaſphamies Jovis fulmine tactus, ideoquè Diris devotus eſſet. Sola Evadne uxor ei non defuit, quæ pretioſiſſimi velut ad triumphum exornata veſtibus in ardentem rogum

se simul conjecit, rarò ad posteros fidei conjugalis exemplo, post fata etiam superstitis.

CAPUT XI.

Historia Tantali & Pelopis filii.

QUO tēpore Argi cum Thebanis variante utrimquè fortunæ aleâ præliabantur, eodem alibi Tantalus Rex Phrygiæ & Tantalidæ ejus nepotes, variis casibus exercebātur.

Impietas hujus Principis tantarum calamitatum origo fuit nam cùm Jove natus esset & die quadam Dii per orbem divagantes ad ejus palatium honoris, & hospitii gratiâ divertissent, inter alia fercula Pelopis filii, membratim concisi, càrnes comedendas apposuit, ut eorum divinitatem experiretur.

Illi verò à nefandis epulis abstinuêre omnes, unâ Cerere exceptâ, quæ, ut fame premebatur, pueri humerum devoravit; alii commiseratione moti Principem adolescētem vivis restituerunt, reductâ per Mercuriū ab inferis animâ singulisó; membris in inpristinam formam compositis; humerum tamen eburneum in alterius â Cerere absūpti locum substituêre, cujus attactu morbi quilibet continuò curabātur

Tantalum verò impiæ crudelitatis reum, ad inferos detruserunt, ubi medias inter un

undas, copiamquè fructuum, quos nequicquã capere nititur fama sitiq; insatiabili & immortali cruciatur. Alia vide lib: præcedenti, capite ultimo.

Filiam antea susceperat nomine Niobem, quam sua vanitas & superbia perdidit: cum enim numerosam sobolem rara foecunditate genuisset, eò devenit arrogantiæ, ut ipsi è-tiam Latonæ se præferret, Mulieris temeritatem Apollo, & Diana non ferentes, liberos ejus omnes, unâ Chloride excepta, sagittis confixerunt, ipsa tædio & mœrore emarcuit; undè nata occasio, eam in saxum obriguisse; fabulandi.

Pelops relictâ Phrygiâ in Elidem se contulit ubi forma Hippodamiæ, Oenomai Regis filiæ, captus, eam sibi conjugem designavit. Verùm Oenomaus, Oraculo edoctus fore, ut Generi gladio interirent. Hanc filiæ procis conditionem imposuerat, ut qui nuptiis filiæ potiri vellet, secum priùs certamine contenderet, & victus morte plecteretur

Nec legem Pelops recusavit, sed aleam certaminis subiturus industriâ hic maxime utendum ratus, multa promissorum ostentatione, Myrtillum Oenomai Aurigam sibi demeruit, qui ejusmodi artificio currûs axes dispòsuit, ut in mediò cursu rumperentur, deturbato sessore Oenomao, qui labendo cervices fregit. & Regnum Pelopi cum Hippodamia filia reliquit. Hic imperio potitus,

potitus longè lateq; gloriam suam extulit, & Peloponeso, quam hodie Moream dicimus, nomen indidit. In Atreo tamen & Thyeste filiis infelix fuit; quamvis Agamemnon & Menelaus, ex Atreo nepotes, qui illa ætate nominis gloriâ floruerunt, hanc labem utcumq; compensârint, ut infra videbimus.

CAPUT XII.

Historia Atrei & Thyestis.

ODium implacabile, quod hos inter fratres intercessit, tot tragædias excitavit, quas singillatī enarrare prolixū foret, Thyestes in hoc unum intentus, ut Atreo quomodocunque displiceret, ejus uxore per adulterium pollutâ, in tutum locum se recepit. Hinc Atreus Thyestis liberos jam suæ fecerat potestatis; & simulatâ præteritarum offensarum oblivione, ad convivium invitat, in quo æquâ utrīsq; gratiâ amiceq; omnē cōtroveriā dirimerent, cōponerentque. Thyestes haud gravatè adfuit, ut qui svavissimo liberorū aspectu frui vehemēter percuperet. Sed sublatâ mensâ Atreus sola eorum capita, resciffasq; manus ei ostendit, addiditque nullas ipsi in mensa carnes ministratas, quàm ex dissectis eorum corporibus. Poëtæ ut tanti maleficii atrocitatem nobis ob oculos ponerent, asserunt Solem reconditâ subitò facie obscuratum versus Orientem iter refle-

[d]eflexisse, quasi inhumanissimi hominis fa[c]inus detestantem.

Et ut aliud ex alio crimen nascitur, cùm Egysthus Thyestis notus, quem fama mor[t]uum vulgaverat (fuerat enim feris in silva [e]xpositus, sed à capris ibidem enutritus, un[d]è & Ægysthus dictus est) jam adoleverat; [c]ujus operâ furibundus pater uti voluit, ut [c]onceptam in Atreum rabiem satiaret. Æ[g]ysthus patris injurias vindicandas cupidè [a]mplexus, fuso Atrei sangvine manus in[t]inxit suas, filium ejus Agamemnonem à Trojana reducem obsidione, à propria uxo[r]e Clytemnestra, quâm corruperat, prodi[t]um, nefariè è medio sustulit.

Dicemus alibi, quemadmodum Orestes patris Agamemnonis mortē sit ultus, cùm Ægysthum patris sicarium interfecit, soluto etiam in propriam matrem furore, ob perfidiam in virum exercitam.

CAPUT XIII.

Historia Prognes & Philomelæ Sororis.

CASUS etiam tristissimos hæc Historia cō-plectitur, ideoq; non minùs quàm præcedentes à Pöetis celebratur. Progne Pandionis Atheniensium Regis filia, ex Tereo Thraciæ Rege, Principem, nomine Ityn, susceperat. Contigit subindē ut Tereum Athenas cogitantem rogaret vehementer, ut

Philomelam sororem, cujus videndæ miri cupiditate tenebatur, secum deduceret. Hanc cùm à Pandione parente non difficulter impetrâsset, in itinere corrupit, & ne facti obscœnitatem aperiret, linguam ei præsecuit, inclusamq; carceri abscondit rumore pervulgato, ipsam casu quodam, quem ipse fingebat, perijsse. Philomela interim, tædio carceris affecta, rem omnem, uti gesta fuerat, in tela proprio sangvine descriptam, ad Prognem sororem transmisit.

Hæc conceptum dolorem, & calamitatem sororis ultura, tantisper dissimulavit, donec festo Orgiorum appetente, inter bacchantes se miscuit, quibus in rabiem conversis, hac occasione in omnem se libidinem effundendi, grassandiq; impunè permittebatur: valuit ad fraudem ista simulatio: illa sororem exsolvit vinculis, & simul ambæ in Ityn, u-unicum Terei filium irruunt, & in frusta comminutum in ferculum parant, ipsi pro prandio apponendum. Non diu latuit impium facinus: siquidem Tereus conspecto puelli capite, ad extremum illato, filii mortem vindicâsset; nisi, ut habent fabulæ, Progne in Hirundinem, Philomela in avem sui nominis, ex Deorum commiseratione fuissent transmutatæ; uti & parvus Itys in Phasianum, & Tereus in Upupam, qui quasi adhuc filium quæritans clamat: *pu, pu?* hoc est ubi, ubi? Gorgias tamen apud Aristotelem lib: 3. Rhetoricorum, existimavit, Philome-

lomelam in Hirundinem & Prognem in Lusciniam conversam fuisse.

CAPUT XIV.

Historia Regum Trojanorum.

TROJA inter omnes Asiæ minoris Civitates celeberrima, cùm magnitudine & opulentia, tum bello diu cum Græcis habito, ad perpetuam nominis famam inclaruit.

Sita erat in Phrygia regione: quæ ad Ægeum mare protenditur, non longè ab Hellesponto, Chersonesum ex opposito respiciens: hinc in Tenedum Insulam prospectus erat, quæ in exitu maris Ægei fauces Hellesponti occupabat. Mœnia alluebat Scamãder, fluvius, qui ducta in mõte Ida origine, junctus deindè Simeõti ad Sigei promontorium in mare se exonerat. Primus ejus conditor dominusq; Dardanus fuit, Jovis ex Electra filius, qui Jasio fratre interfecto, patriâ cedere coactus, in Phrygiam se recepit, ubi Teucri filiâ in uxorem accepta, in illa Regione rerum potiti sunt, quæ ab illis appellationem mutuata, aliàs *Teucria*, alias Dardania dicebatur, eodẽ nomine in Metropolĩ Trojã successu tẽporis, derivato. Inciderunt hæc Trojanæ gentis principia in tempus, quo regendis Israëlitis, Moysi successit Josue, annis ante Romam conditam circiter sexcẽtis, 40 verò vel 50 postquã Ma-

joris Asiæ imperium ad Assyrios devolutum esset.

Dardano successit Erichtonius filius, qui Troem filium sibi successorem constituit: ab hoc Urbs Troja, Regnum autem Troadis nomen accepit.

Inter alios Ganymedem genuit, quem Jupiter posteà rapuit; item Assaracum parentem Capyos, cui natus Anchises. Hic ex Venere ad Simoëntis fluvii ripas Æneam suscepit. Inter omnes verò Trois liberos Julus eminuit, qui Regno Paterno admotus, Trojam majori splendore auxit, undè & Ilium vocata est.

Julo filius & hæres fuit Laomedon: qui Neptuno, & Apolline elocatâ operâ juvantibus, ut lib: prioris Cap: 5. diximus, Trojam mœnibus circum cinxit; sed cum eorum spē, negatâ quā adpromiserat mercede elusisset, multis ærumnis appetitus, Diis violatā fidē ulciscētibus, pœnas dedit gravissimas, & iis urgentibus filiā Hesionē mostris marinis objicere coactus est. Superiùs etiam admissæ in Herculem perfidiæ meminimus, qui Hesiones in libertatem asserendæ negotium susceperat, pari sceleris pœna consecutâ. Nam Hercules collecto apud amicos principes exercitu; & Telamone sigillatim Salaminis Insulæ Rege, Ajacis parente, in belli societatem advocato, Laomedontem bello aggressus interfecit, gazis ejus omnes diripuit, Hesione Telamoni in con-

conjugem datâ, ejusque filio in captivitatem abducto, qui tamen lytro à subditis persoluto postea dimissus, nomen Priami, quod redemptum Græcè sonat, retinuit.

Priamus imperio restitutus, Regno suo alias adjecit Regiones, & reparatis, quæ temporum injuriâ conciderant, Trojanis mœnibus, ductoq; circum aggere, ac erectis multis propugnaculis, urbem quæ ea tempestate Pergama dicebatur, novo splendore exornavit.

Hecubam Traciæ Regis filiam uxorem duxerat; ex qua plures suscepit filios, nominatim Hectorem, Politem, Deiphobum, Helenum vaticiniis clarum, Troïlum, Paridem, & Polydorum; ex ejus filiabus illustriores fuêre Polyxena, Cassandra, & Creusa: aulam habuit gloriâ, & magnificentiâ celeberrimam, vitamquè ad extremam usq; senectutem fortunatam traduxit. Fatorum tamen inclementiâ, ea sibi seni doluit eripi, quæ habuerat jucundissima: in ejus enim oculis Troja funditùs eversa est, quæ annis tantùm trecentis steterat. Casùs tam funesti historiam videamus.

CAPUT XV.

Historia Paridis.

HECUBÆ Paridem, qui & Alexander dicitur, in utero gestanti, per speciem objicie-

ijciebatur ſæpè ardentem facem ſe ferre, quæ bellum aliquando in patria accenſura eſſet, ſolo incolarum omnium ſangvine, exitioquè reſtinguendum:

Ideoquè vix lucem aſpexerat, eum Priamus Archelao militi in ſilva feris objiciendum tradidit, ut imminentem patriæ peſtem averteret.

Sed mater viſo pulcherrimo Puſione, molliori conſilio, paſtoribus in Ida monte ſollicitè educandum clam commiſit. Educatio tã vilis & à Regia conditione tam aliena, ſopire non potuit egregios illos ſpiritus, quos ipſi natura cum ſangvine indiderat. Nã ut primùm adoleverat: animi magnitudinem, prùdentiam, & æquitatem Rege dignam, in omnibus præferebat. Nihil in eo puerile præter ætatem, nihil ruſticum, præter cultum corporis, in ipſo notabatur; ita, ut à Junone, Pallade, & Venere dignus ſit judicatus, qui ortam inter ipſas controverſiam ſuo arbitrio dirimeret. Litis materiam dederat in Pelei cum Thetyde nuptiis, pomum à Deâ Diſcordia in medium projectum adjecta inſcriptione: *detur pulcherrimæ*, Sed Paris Veneris captus illecebris, quæ pulcherrimam fœminarum illi uxorem promiſerat, pomum ei adjudicavit, neglectis opibus, quas Juno pollicebatur, & contemptâ, quam Pallas offerebat, ſapientiâ: quo facto, Deæ utriusq; odium in ſe ſuamq; gentem accerſivit.

Na-

Nata est subindè alia occasio, ubi qualis esset, se præstitit. Convenerant ad Trojam ex patriæ nobilitate illustrissimi quique ad lusus quosdam Palæstricos, in quibus de victoria singuli concertabant: His immixtꝰ in terrã dejecit, quotquot se se illi obulerant. Hector ipse Priami filius suas cõtra eũ vires experturus, manus dedit, sed tãta indignatione cõmotus ut Paridem ex specie velut agrestem despiceret & mortem intentaret, nisi Paris nescio quæ crepundia, à Matre Pastori suo nutritio olim tradita, ostendisse, quibus se germanum ejus esse aperuisset.

Rex Priamus, qui ejus in certamine fortitudinem industriamque cum stupore spectaverat, incredibili gaudio perfusus de servato sibi tali, tantoq; filio, eum amplexus, in palatium duxit, ubi cultum & comitatum Regio dignum Principe ei attribuit, vaticiniorum jam oblitus, quibus cum oracula funestum aliquando patriæ futurum prædixerant.

Cùm autem nihil, nisi magnum appeteret, aulæ delicias brevi pertæsus, classem viginti navium apparavit, specie quidem repetendæ in Græcia Hesiones amitæ suæ, aliàs ab Hercule raptam jam Telamon habebat; revera ut suggestum sibi à Venere consiliũ de rapienda Helena exequeretur, quæ Castoris, & Pollucis soror Menelao Spartanorũ Regi in Peloponeso nupserat. Itaq; Spartã recta contendit, ubi agente clàm Venere omnibus humanitatis officiis exceptus

in aula morari sine ulla suspicione permissus est, cùm Rex interea negotiorum causâ ad Cretam Insulam navigavit.

Non potuit illa Regis humanitas proditionem impedire, quam Paris jam diu animo, designaverat, nam & Helenam occultis jam colloquiis sibi demeritam, occasione opportunè usus, Trojam abduxit; licet dissentiat Herodotus; sic enim Dares, & Dictys referunt, qui & Trojanæ obsidioni interfuêre, & illius temporis Historiam complexi sunt.

Priamus filii consilium non improbavit, sive ob recentem memoriam injuriarum, quibus à Græcis captus affectus fuerat; & Trojanæ cladis, regnante Laomedonte, ab eis acceptæ; sive quòd speraret Hesionem sororem ex eorum manibus hâc viâ liberandam.

CAPUT XVI.

Græcorū adversùs Trojanos conspiratio.

AGAMEMNON Mycenarum Rex in Peloponeso Argis vicinus Menelai partes inter primos suscepit: erant enim, ut cap: 12. retulimus, Germani ex Atreo, à quo & Atrides dicebantur. In hoc ergò laborare debuit, ut Principibus Græciæ proponeret, quantum dedecus hoc Paridis audax facinus toti genti suæ attulisset. In unum deinde

omnes

omnes locum ad deliberandum convenêre, & omnium provinciarum vires sub imperio Agamemnonis cogendas esse decreverunt, ut tantam injuriam vindicarêt: præstitum deindê à singulis jusjurandum quo se adstringebant, non priùs arma deponere, quam à Trojanis meritas pœnas exegissent.

Fuêre nonnulli, qui se ab hoc bello eximere voluerunt, qualis Ulysses Laertis filius, duarum in mari Jonio Insularum, Ithacæ, & Dulichiæ Princeps, hic amore Penelopes conjugis ex qua filium susceperat, nomine Telemachum; ita adstrictus tenebatur ut ab ejus congressu se avellere non posset; insaniam in hunc finem simulans.

Jumentis ad aratrum utebatur planê ineptis, littora mari contigua proscindens, & pro tritico salem disseminans, Palamedem oculatiorem cæteris hoc dolo fallere non potuit. qui ut hanc astutiam detegeret, Thelemachum ejus filium ex sinu Penelopes abreptum in eum locum deposuit, quo Ulysses aratrum adducturus videbatur. Hic, ne noceret proli, aratrum avertit, quo facto palam fecit, eam quam præseferebat amentiam quæsitam esse, & artificio simulatam, atq; ita detecta fraude, ad commune cum aliis consilium suscipiendum compulsus est. Paruit ille quidem, tempori cedendum rat9; sed acceptam à Palamede injuriam in obsidione ante Trojam ultus est quando suppositias, à Priamo ad ipsum literas in vul-

 gus

gus misit, quibus gentem suam prodere visus, à furente milite fraudis ignaro lapidibus appetitus occubuit.

Movit etiâm difficultatem Achilles Pelei ex Thetyde filius, quicorporis, animiqué robore invincibilis habebatur; & nisi obsidioni interesset, Græcorum adversus Trojanos irritos fore conatus ab oraculis respõsum esse ferebatur. Thetys hujus præscia, eum cum Patroclo amico & consangvineo, à prima juventute in disciplinam Chironis Centauri viri Musicâ & medendi arte clarissimi, tradiderat, omnibus sciẽtiis, sed maximè arte militari, informandum.

Hunc loco lactis, aliorumq; ciborum vulgarium, Leonum & Aprorum medullis nutriebat, ut horum animantium fortitudinẽ in ipsum cum nutritione traduceret. Eundem in stygem Thetys immersit, cujus aquarum virtute toto durus & impenetrabilis corpore evasit, præter extremam pedis partem, quâ eum sustinens undis intinxerat. Neque tot jam munitum præsidiis ausa est, belli tam ancipitis discrimini objicere, sed habitu puellari tectum, in aulam Lycomedis Regis clam subduxit, ubi in pedissequarum è Gynecæo virginum mores sese assimulans Deidamiæ amore captus, Pyrrhum aliâs Neoptolemum ex ea suscepit. Ulysses fraudem odoratus, ad Lycomedem se contulit, cum variis ad Gynecæum muneribꝰ, qui-

quibus cùm nescio quæ arma miscuisset, Achilles rerum militarium à natura & educatione studiodissimus ea subitò sibi arripens, se, quis esset, aperuit, Cùm ergò à liquendo exercitu eximi non posset, Thetys per Vulcanum arma cudi tanta arte voluit, ut nullis jaculis essent pervia, & ita inter media pericula tectus & illæsus persisteret.

Portus Aulidis in Bœotia, è regione Euboeæ insulæ situs, locus erat condictus ad exercitû colligendum: aliquot interea effluxerant anni, priûsquàm omnis apparatus ad tanti momenti expeditionem necessarius præstò esset, & classis mille ducentis ratibus constans vela facere posset. Quibus comparatis casus quidam molestissimus iter impedivit.

Res ita contigit: Agamemnon, totius exercitûs Imperator, die quadam, cùm venatione mentem recrearet, Cervam Dianæ charissimam fortè confixit. Illa injuriæ impatiens, contagiosâ lue infecit exercitum, quæ multos sustulit, & in mare ventos immisit, concitâ tempestate navigationem remorabatur. Consulta hac de re oracula responderant, Dianam solò Agamemnonis sangvine placari posse. Ulysses Deorum mentem feliciter interpretatus, Iphigeniam Regis filiam sub alio prætextu in castra accivit, quam cùm in conspectu afflictissimi patris jugulare pararent, Diana innocentis

commiſeratione tacta, ejus loco Cervam ſubſtituit eamquê in Tauricam Scythiæ provinciam in templû ſibi dedicatum transtulit, & Thoanti Flaminnm Principi traditam ſacris miniſtrare voluit. Exindè felicibus auſpiciis cæpta expeditio, & admotus ad Trojam exercitus; Solus Telephus Rex Myſiæ auſus eſt tranſitum negare: Sed ab Achille in coflictu lanceâ vulnerat9, cùm nullum curandi vulneris remedium inveniret, oraculo reſponſum eſt, fore ut eâdem haſtâ, qua vulneratus erat, ſanaretur. Reconciliatus itaque Achilli, qui in ſchola Chironis medendi artem didicerat; ab eo impetravit, ut ex haſtæ, quâ ictus erat rubigine, Malagma conficeretur & vulneri ſuo imponeretur: quo facto ſanitatem eſt conſecutus.

CAPUT XVII.

Trojæ obſidio.

GRÆCI, caſtris ad urbem locatis, majoribus animis excepti ſunt ab obſeſſis quam ſibi antè perſvaſerant. Priamus omnû providus, neceſſaria omnia in locû convexerat, ut quàm diutiſſimè ſuſtinere poſſet obſidionem. Acceſſerant, opportuna ſubſidia à Memnone inter Duces ſui temporis clariſſimo, qui copioſum militem à Rege Aſſyriorum adduxerat. Penthesilea, Regina Amazonum

zonum, aderat cum selectissima militû ma-
nu: aderant & Rhesus Thraciæ Rex, & Sar-
pedon Jovis Lyciæ Regis filius. Sed Tro-
jani spem maximam in suum *Palladium* col-
locârant, quod erat, cœlitus demissa Miner-
væ statua, in qua totus præsentis belli suc-
cessus situs esse credebatur. Hoc enim pro
certo responderant Oracula, quamdiu illud
servaturi essent, Trojanos nunquam supe-
randos; cujusmodi apud Romanos regnan-
te Numa Pompilio *Ancile*, quod in parvi cly-
pei speciem efformatum è Cœlis accepe-
rant.

Sed Diis utebantur maximam partem sibi
adversantibus: Nam, ut refert Homerus,
cùm in hunc finem coram Jove convenis-
sent, alii in aliam sententiam abierunt; ita
ut propè factum fuerit ut in bellum res
omnis recideret: Apollo Neptunum, Mar-
tem Minerua, Diana Junonem, Latonam
Mercurius, & Scamãder fluvius, à Diis Xan-
thus nominatus, Vulcanum oppugnabat.

Certè Scamander omnem agrum Troja-
num ab Achille desolatum, ac undarum
suarum cursum occisorum cadaveribus im-
pediri indignatus, adjuncto sibi fluvio vi-
cino Simoente se se extra alveum latè effu-
dit, & Achillem fluctibus sepelisset, nisi
Juno malo occursura Vulcanum in ejus au-
xilium immisisset, qui luculentâ flammâ cir-
cumdatus magno impetu in miserum Sca-
mandrum insiliit, & ejus aquas magna ex
parte consumpsit.

Tenu-

Tenuit hæc obsidio ad multos annos utriquè parti propê ex æquo funesta: Complures ibi rerum gestarum gloriâ inclyti pugiles, occubuerunt, nec pauci egregiè factis nomen suum immortalitati consecrârunt.

Secundum Agamemnonem & Menelaum Reges, Achilles animi magnitudine, aliisquè virtutibus facilê supra cæteros eminebat. Ad hunc proximè accedebant Patroclus, quo chariorem habebat neminem, Idomeneus Deucalionis, Ajax Thelamonis filii, alius item Ajax ex Oileo Locrorum Rege, qui pernicitate in currendo, & in tendendo arcu industriâ, cæteros excellebat. Nequê inferiores fuêre Stelenus Tydei filius eiquê amicissimus Diomedes Rex Etholiæ Capanei filius, alius tamen â Diomede Rege Thraciæ, qui Herculi crudelitatis pœnas dedit: erat enim morum comitate gratissimus, idemquè in præliando imperterritus: ruebat in confertissiimos hostium cuneos instar fulguris, ait Homerus, vel torrentis rapidissimi, ita ut soli Achilli & Ajaci Thelamonidi primas concederet. Ulysse juncta cũ generositate industria indolis, & in stratagẽmatis ad circumveniendum hostem astutia, plurimum commendabat.

Nestor licet ætate grandævus, (annum enim tunc agebat trecentesimum) consilii dexteritate tantum Græcorum rebus profuit, ut Agamemnon profiteri non dubitaret, brevi se Ilium fuisse expugnaturum, si Centum Nestores habere contigisset. Nam præter

summam, prudentiam ætatis diuturnitate collectam, tantâ præterea eloquentiâ excelluit, ut ex ejus ore melle dulcior fluere diceretur oratio. Græci etiam sapienter providerant, ut viri in Castris essent rerum omniũ peritissimi, qui pro sua quisquè scientia belli successum ad vota promoverent. Aderant divinandi arte præstantissimi Calchas & Eurypilus, quorum auguriis, & prædictionibus cuncta ordinabantur. Ut taceam Machaonem Æsculapii filium, in curandis morbis, & vulneribus versatissimum; felicissimumq; & Epeum qui præter complures alias machinas bellicas, arietem sive eqvum reperit, quo ad diruenda mœnia utebantur. Solus erat in tãta clarissimorum virorum multitudine meritò vituperandus Thersites quidam ingenio bardus & corpore insigniter deformis, qui cum ipse nihil ageret, carpebat tamen cæteros, & sapientissimos quoque procaciter conviciabatur, quem & hoc nomine Achilles inflicto colapho interfecit.

Qui ex Græcis primus ex navi in Troadis littus insiliit Protesilaus fuit, quem Hector è vestigio lanceâ confixum in terram prostravit. Uxorem habebat Laodamiam, quæ hoc unum doloris sui solatium à Diis impetravit, ut mortui umbram posset intueri, sed in ejus amplexibus continuò expiravit.

Cruenta fuit imprimis hæc obsidio, obsessis in hostilia castra frequenter erumpenti-

bus, desideratis semper utrimq; quam plurimis. Ex Priami filiis Troïlus adhuc adolescentulus cum Achille congredi ausus, cecidit; non sine gravissimo Trojanorum dolore: Eò enim vivo Trojam capi non posse, ab Oraculis acceperant. Hector frater natu maximus ejus mortem ultus est magna Græcorum cæde, quotquot cum eo manus audebant conserere; erat inter Trojanos ejus nomen adeo celebre, ut ad delendum hostilem exercitum, eum sufficere passim diceret.

Interea Græcis Trojani minûs nocebant suis eruptionibus quâm suis mulieres illecebris. Agamemnon filiâ sacerdotis Apollinis turpiter abusus, pestem in castra accersivit, quæ tam diu grassata est, donec Achilles, Calchantis auguris consilio, ut iratum Numen placaret, ad suos remisit. Agamemnon jacturæ illius impatiens, furore in Achillem converso, Briseidem à Patre Brise ita Appellatam, aliàs Hippodamiam, ei abstulit: quæ dissidii causa fuit inter utrumquè implacabilis, Achille imperium detrectante, & exindè arma sumere pertinaciter recusante.

Sed contigit ut Patroclus, Achillis armis indutus, Hectorem imprudenter lacessiverit; cùm autem nec robore Achillis, nec industriâ polleret, ab eodem confossus occubuit. Gravissimus hic casus Achilli fuit: erat enim cum Patroclo summa familiaritate conjunctus: rediit itaquè in castra, certus amici

mici mortem ulcisci, vel pari cum eo fato abire ad tartara: ubi recentibus à Vulcano missis armis cataphractus, Hectorem ad certamen compulsum interfecit, & ter circum Trojæ mœnia, & Patrocli sepulchrum, bigis alligatum cadaver raptavit, vendidit denique Priamo Patri, ut pro suo arbitrio de illo disponeret.

Mors Hectoris plurimum Trojanos perculit, multò tamen ampliùs cædes Penthesileæ Amazonum Reginæ, Achillis manu interfectæ, & universus sociarum ejus exercitus ad internecionem deletus, vel Diomedis operâ Scamandri fluvii undis consepultus.

Memnon hanc reparare jacturam existimabat, in quem spes Trojanorū omnis, & oculi erant defixi; sed ab Ajace Thelamonide, primùm graviter sauciatus deindè ab Hercule in singulari certamine interfectus est. Diximus cap: 10. quantum hoc facto Aurora, ejusdem mater, indoluerit, & in avem sit conversus.

Regina Hecuba ad Memnonis & illustrissimorum è filiis suis cædem vindicandam conversa, furorem omnem in Achillem effudit, adhibito ad eum trucidandum Paride, qui fraude in consilium advocatâ cùm Achillem Polyxenæ sororis amore captum advertisset, spem fecit ejus obtinendæ, & prætensâ hac super re colloquendi specie, in templum Apollinis allectum ex improviso ador-

adortus, eam pedis ejus partem telo transfixit, quæ sola ex toto corpore patebat vulneri, quòd stygis aquis non fuisset intincta.

Terruit tam funestus Ducum fortissimi interitus Græcorum animos, qui in Sigæo promontorio ad perpetuam memoriam sepulchrum ipsi erexerunt, ubi Ajax, pluresq; alii Heroës tumulati sunt. Orta subindè Ajacem Thelamonidem inter, & Ulyssem de armis Achillis gravissima controversia est, Ajace cùm ratione meritorum, tum etiam jure affinitatis ea sibi vendicante. Ulysses nihilominus suâ eloquentiâ, quâ omnium animis quedâmmodo imperabat, apud omnes exercitûs duces tantum valuit, effecitque, ut ringente licet competitore, ea obtinuerit; quód Ajacem sic in furorem egit, ut mentis insaniâ correptus, in sues sibi fortê obvias sævierit, ratus esse Agamemnonem, aliosve, quorum sententiâ causa ceciderat. Verùm ubi ad mentis sanitatem rediit, seq; delusum cognovit, acri dolore cõpulsus, gladio, quem ab Hectore dono acceperat, se confodit. Ita proverbii illius veritas patuit, quod apud Græcos omnium sermone invaluit: *Funestum est hostile donum*, ita & Hector ad scutum ab Ajace vicissim acceptum alligatus, raptatus, fuerat.

Jacentes Trojanorũ animos mors Achillis erexerat: Sed breve gaudium, recens excepit calamitas, Pyrrhus Achillis filius ex Græcia appulsus, supra ætatem judicii maturita-

toritate commendatus, in parentis munia pari in rebus gerendis felicitate, ſucceſſerat, ejuſquè mortem in variis cum hoſte præliis, ubi & Paris morte perfidiam luit, fortiſſimè vindicavit; volunt alii Paridem, à Philoctteto Herculis ſagittâ interfectum.

Acceſſit Trojanis ad infelicitatis cumulum, ut Ulyſſes cum Diomede Palladium, cui Civitatis fata ineſſe credebantur, furtim eis abſtulerit. Ita coactus eſt Priamus paciſci cùm obſidentibus; quamvis apud animum pertinaciter ſtatuiſſet, Helenam nunquam à ſe dimittere: quam ex ejus liberis Deiphobus, mortuo Paride, in uxorem acceperat.

Æneas, & Antenor Civitatis nomine pacis negotia tractaturi in caſtra admiſſi ſunt, quæ in has conditiones utrinquè concluſa eſt, ut Trojani Græcis certam auri vim penderēt, & in patriam renavigaturis copioſam annonam ſuppeditarent.

CAPUT XVIII.

Trojæ occupatio & direptio.

GRÆCI his legibus pacem cum Trojanis ſimulatè ſanciverant, ut incautos faciliùs opprimerent. Finxerant etiam ſe Minervam placare velle muneribus, quam ablato profanatoq; Palladio, de quo ſupra, nō leviter offenderāt. Hac igitur obtētâ religionis ſpe-

cie

tie, prodigiosæ magnitudinis equum magno artificio fabricârunt in quo conclusis militum fortissimis, eoque ad urbis mœnia relicto, simulantes abitum, in Tenedum Insulam, consilii successum expectaturi, se recipiunt.

Et habuit dolus, qui sperabatur, exitum. Nam Trojani ex urbe, in qua tam diu cõclusi fuerant, egressi, cum locum castrorum, & militum stationes perlustrarent, in fatalem illum eqvum incidunt, ejus molem ac artificium admirati, de eo in urbem invehendo deliberationem instituunt; aliis autem in aliam sententiam abeuntibus.

Laocoon indignatus eqvum hastâ confixit Sed visi sunt Dii hac offensi esse injuriâ, duos enim serpentes immisêre, qui percussore cum duobus filiis occiso, ad pedes statuæ Palladis se abjecerunt, quo viso Trojani eqvum in urbem inducere statuerunt.

Commovit tamen eorum animos multò magis Sinon quidam ab Ulysse subornato, qui se exploratorem â Græcis relictum esse simulans,, mentiebatur inter cætera, Deos à Græcis cùm in procinctu starent ad navigandum, petivisse è sua gente hominem sibi immolari, ut felici navigatione uterentur, se verò coactum saluti suæ sugâ consulere, ut Ulyssis crudelitati se subduceret, qui capitali erga se odio fecisset, ut fatalis in eum sors recideret. Fingebat præterea Græcorum in equo fabricando mentem fuisse,

fuiſſe, ut eum Palladi conſecrando ejus ſibi gratiam reconciliarent, quem tantæ magnitudinis fecerant ne Trojani eum per portas in civitatem ſuam inducentes, ad Græcorum perniciem eo uterentur.

Hæc aliaquê ejuſmodi mendacia tanta cum veritatis ſpecie â Sycophanta relata ſunt, & à Trojanis accepta, ut tantam murorum partem diruerint, quæ ad invehendum eqvum ſufficeret, Eoquê in mediam urbem adducto, ad epulas & choreas ſe converterunt.

Incolis igitur ſomno vinoquê ſepultis, Sinon oportunê uſus occaſione, equi ventre recluſo, latentibus intus militibus egreſſum præbuit, ſimulquê in editiori loco accenſis ignibus Græcorum exercitui, per tenebras furtim accedenti, ex condicto ſignū dedit, qui ſine mora per mœnium ruinam reluctante nemine, per omnia urbis compita ſe ſe effudit, omnia ad primum ſignum ferro flammaquê direpturus.

Pyrrhus, patris mortem ulturus, ad palatium regis properavit, ubi ante aram Jovis Priamum cum Polite filio trucidavit: deinde Polyxenā jugulavit ut eam patris manibus ſacrificaret, qui ejus amorem nuptiaſquê expetiverat. Andromachæ Hectoris uxori vitam condonavit, eamquê abduxit in Græciam, ubi ex eâ Moloſſum filium ſuſcepit, qui deindê Epiri partem in regnū obtinuit ſuumquê ei nomen indidit.

Ajax

Ajax Locrorum Princeps, Cassandram signum Palladis ut asylum nequicquam amplectentem violavit: quam tamen Agamemnon ferro subductam sibi attribuit, captus ejus pulchritudine, aliisquè virtutibus, quibus excellebat.

Helenam conjugem suam Menelaus recepit, Deiphobo qui eam sibi copulaverat, è vivis sublato. Ulysses Hecubam sortitus est.

Helenus futuris ex verò prædicendis clarus, Pyrrhi beneficio servatus est, quem & deindè in multis erga se perhumanum expertus, eò quod impedivisset, ne navi cuipiā se committeret, cujus naufragium secuto eventu prædixit.

Verum etiam abfuit ut parvus Astyanax Hectoris filius in vivis servaretur Hecuba matre sollicitante, quæ plerosq; Duces suis lachrymis & precibus molliverat; sed Ulysse contra nitente ex summa turri in subjectam rupem præcipitatus est, ne, ut ipse ajebat, de ulciscendo patre, & patria aliquādo cogitaret. Quod tamen privato studio, ac invidiā vel ambitione stimulatus magis, quàm publicæ salutis desiderio adductus fecisse creditus est: alioqui in Helenū, Priami filium, eodem jure procedere opportuisset, qui tamen servatus.

Contigit hoc Trojanorum excidium, & famosissimæ urbis conflagratio, decennio postquam cœpta fuerat obsideri & à prima ejus per Dardanum conditione, annis circiter

ter trecentis: estquè vera hæc historia, multis licet sit vitiata fabulis: neque enim Dares & Dictys militum in equo à Græcis relicto latentium meminerunt.

Ut autem hujus historiæ finem faciamus & Pöetas legentibus, facem quodammodo afferamus, restet, ut quid deinde aliquot ex Græcis & Trojanis heroibus evenerit, breviter perstringamus.

Ajax Cassandræ vim intulerat, nullo respectu habito Palladis, ad cujus statuam suum misera profugium habuerat. Nec tantam proterviam impunè tulit: cum enim patriam versùs vela faceret, Pallas, obtenta à Jove facultate, tempestatibus ejus & fulminibus ad arbitrium suum utendi, ingentem in mari tempestatem excitavit, vibratisquè ignibus, sacrilegi scortatoris naves incendit, ut eam quâ vehebatur, fluctibus immergeret. Ajax tamen in proximas rupes incolumis ibiquê defixus in Deos furere cœpit, ac ore blasphemo jactare, se solius brachii sui robore, Diis etiam invitis & ringentibus, eluctaturum Quo audito, Neptunus rupem, cui innitebatur, ictu tridentis evertit, & in mare devolutus submersus est. Thetys ejus cõmiseratione tacta, sepulchrum illi ad maris littus propria manu effodit.

Nauplius, Græcorum Ducibus infensus, quòd Ulyssis fraudibus circumventi filium suum Palamedem ad mortem condemnassent,

ſent in Capharei montis apice, è regione Helleſponti, ignes excitavit, ut claſſis portum illic eſſe arbitrata, in ſcopulos, quibus ora illa infamis impingeret: Sed Ulyſſi & Diomede per aliam viam navigantibus dolus ſperato eventu caruit.

Idomeneus inter celeberrimos exercitûs Duces non poſtremus, imminente naufragio ſolenne votum concepit, ſi ſe Neptunus incolumem in patriam reduceret, ſe illi immolaturum quod primum ſibi occurreret. Contigit, ut filius ejus primus ei obviaret, quo tamen immolando per ſuos eſt prohibitus, qui tantam non ferebant inhumanitatem.

CAPUT XIX.

Geſta Agamemnonis, & Oreſtis ejus filii poſt obſidionem Trojanam.

AGAMEMNON bello Trojano tam feliciter defunctus, triumphans in patriam regreſſus, infeſtiores domi reperit inimicos quàm antea foris ſuperâſſet.

Nam Clytemneſtra uxor ejus, poſt infame, viro abſente, cùm Ægyſto commercium capitales reduci ſtruxit inſidias, quibus miſer Rex involutus occubuit. Ut cap. 12 hujus libri indicavimus.

Caſſandra, quam Trojâ ſecum abduxerat, hanc ei calamitatem impendere, multa ad cautelam præmonendo dixerat. Sed quà-

ſingularem futura prædicendi ſcientiam ab Apolline accepiſſet, is tamen, neſcio quo perfidiæ genere ab ipſa offenſus, tantum ex illo favore ei decerpſerat, ut ejus oraculis nemo fidem adhiberet, ſed omnes contraria ſequerentur.

Oreſtes morte patris exacerbatus, matrē Clytemneſtram, ejuſquè adulterum Ægyſtū, ê medio ſuſtulit; quo facto licet ſpeciem aliquam æquitatis prætendiſſet, furiis tamen poſtea, & conſcientiæ ſtimulis miſere exagitatus eſt cùm patrati ſceleris horror ipſi ante oculos verſaretur. Tanti ſupplicii impatiens, reſponſum accepit ab Oraculo, unicum illud fore remedium, ſi in Tauridem Scythiæ provinciam, proficiſceretur, ubi ex Dianæ templo ejuſdem Deæ ſtatuam auferret, & in Græciam aſportaret.

Ad illud ergò iter ſe accingit Pylade Strophii Regis filio ſibi in ſocium adjuncto, & quia periculorum omnium cum ſumma animorum conjunctione comites fuerant, Pylades hac maximê occaſione teſtari voluit, quanti faceret Oreſtis amicitiam.

Antiquis in illa Regione ſancitum erat, ut quotquot alienigenæ occurrerent, caperētur, Dianæ ſuæ immolandi, quæ ſolis humanis, victimis placabatur. Ambo igitur capti ad Thoātē, qui ſacris profaniſquè reb9, junctâ Archi Præſulis Regiſq; poteſtate, moderabatur, adducuntur; qui h . . eis gratiæ conceſſit, ut alteruter ſolùm mactaretur.

Orestes & Pylades raro amicitiæ certamine, pro se, quisque ad lanienam abripiendo multo rationum, quas suggerebat amor pondere perorabat: tenuitque gratissima illa altercatio, donec Orestes sortitione palmam tulit, qui ad Iphygeniam Sacerdotio fungentem adductus, frater ejus esse compertus est. Statuunt uterque in libertatem se vindicare. Occiso itaque Thoante & ablato secum Dianæ Simulacro, atque in lignorum fasce abscondito, propter quod Diana Fascelis exindè vocata est; comitante semper Pylade profugerunt. Itaq; Orestes feliciter in Græciam reversus, & furiarum stimulis liberatus, ad patriæ gubernationem animum retulit; multas deindè Civitates in Thracia condidit, ex quibus Oresta, memoratur quã temporum successu Adrionopolim appellârunt.

CAPUT XX.

Gesta Ulyssis post bellum Trojanum.

ULYSSES exceptis exantlatisquê fortiter decẽnalis obsidionis laboribus decem alios exegit annos, cùm molestissimæ navigationis periculis decertando: vix plenis velis navigare cœperat; cùm malignæ tempestatis impetu in Ciconum Thraciæ populorum oras delatus, suam ibi Hecubam amisit: hæc enim accepto nuncio, Polydorũ fili-

filium, quem Polymnestori genero suo, cum thesauris quos habebat pretiosissimis, ineunte bello crediderat, ab eo interfectum, & ad maris littus sepultum, ut hoc se deposito locupletaret; dissimulato ex tanta perfidia dolore, eum videre transeundo voluit, & ut incautum opprimeret, alia esse magni pretii, quæ illi committere cuperet, simulavit. Ille nihil fraudis subodoratus in cōspectum venerat, cùm Hecuba ei oculos furibunda effodit· quo facto pertæsa servitutis, in ipso vestigio sibi manus violentas intulit; quamvis legamus in Ovidio à Thracibus Regis sui injuriam ulciscentibus lapibus esse obrutam, in canem subindè conversa est; Ulysses tantæ Principis mortem gravissimè doluit, quam pluris faciebat, quàm cætera ex Trojanorum spoliis à se reportata? sed hæc sequentium calamitatum tantùm fuêre præludia. Nam primò cum in Ithacā Insulam cogitaret ad Lotophagos Africæ populos tempestate projectus est, sic dictos à fructûs genere, ad vescendum tam svavi, ut ejus comites eo gustato in Græciam renavigandi desiderium amiserint, & in naves vi magnâ compelli debuerint.

Alia tempestas eum in Siciliam compulit, ubi in Polyphemi manus incidit, inter Cyclopes nominatissimi, de quo in historia Neptuni Ex ejus comitibus sex Polyphemꝰ ipse devoravit, cùmquè beneficii loco eum se laniaturū ultimū spopondisset, tu Ulysses

 lanie-

lanienam effugeret Cyclopis inebriandi modum reperit, effossoque illi oculo ad Æolum profugus, ab eodem perhumaniter acceptus est, ventosquè omnes ad arbitrium coërcendos obtinuit, excepto Zephyro, quos vasis inclusos attinebat, ne eorum navigationem impedirent; sed ejus socii quid illis in utribus lateret, sciendi cupidi eos resolverunt, & ventis elabentibus, naves Ulyssis in Æolias insulas rursus impulsæ, ubi ab irato Æolo nihil amplius favoris exorare potuit; ideoquè ad Læstrigonas tendere compulsus est.

Erant populi totius Italiæ immanissimi, & humanis vesci carnibus, assveti, quibus cum Regis potestate Antiphates imperabat. Hic voratis aliquot ex Ulyssis comitibus, rates eorum omnes unâ, qua Ulysses vehebatur, exceptâ, in profundum maris immersit

Hinc quâm celerrimè abnavigavit, tenuitquè Insulam, ubi Circe veneficarum truculentissima habitabat. Erat Solis filia, & Regis Sarmatarum uxor, eademque veneficiorum, & præstigiarum inventrix habebatur, solita venenatarum potionum vim in suis subditis experiri, usq, adeò, ut ne à marito quidem manus abstinuerit, ut sola regnaret. Ob tam inauditam barbariem omnium odiis appetita, in cujusdam insulæ ab Etruria, Italiæ regione, non multum dissitæ promontorium se recepit. Huc explora-

tores

tores aliquot Ulyſſes præmiſerat, quos venefica in ſpeciem benevolè acceptos, magica potione in ſues trasformavit. Solus Eurylochus cæteris cautior, ejus ſeſe laqueis expedivit, properanſque eorum quæ contigerant ducem ſuum certiorem fecit. Ulyſſes hoc nuncio perculſus, ad magam ipſe ſe conferre ſtatuit, acceptoq; à Mercurio pharmaco, ex herba *Moli* dicto, quâ Dii adversùs venena, & incantationes utebantur, ſtricto gladio intrepidus eã aggreditur, mortem minatus, niſi ſocios priſtinæ formæ redditos, ſibi quâm primum ſiſteret; quod cùm illa præſtitiſſet, ejus poſtea uſus conſvetudine, multos ex ea filios ſuſcepit, quorum natu major fuit Telegonus.

Voluit deindè Oracula conſulturus ad Inferos deſcendere cùm Circen haberet, cujus directione poſſet iter illud feliciter inſtituere. Ibi ex ſociis ſuis Elphenorem invenit, qui apud Circen pauló ante benê ſanus relictus, ſed inebriatus de ſcalis deciderat. Cum Anticlea matre & Tireſia Hariolo congreſſus, cùm multa ex eorum ſermonibus de fatis ſuis didiciſſet, ad Circen remeavit, ut inſtitutum iter proſequeretur.

Diximus lib: præcedenti cap: 11. ſub finem, quemadmodum in Sirenum oras delatus, ad malum navis ſe vinciri, ſociis verò aures cerâ obſtrui voluerit, ne inſidiantium illecebris caperentur. Hoc defuncti periculo, & declinato feliciter ad Scyllam,

& Charybdim naufragio, in portum Siciliæ subierunt.

Ibi Phaethusam, Solis filiam, sacros patris greges pascentem cùm reperissent, Ulysses â Circe præmonitus, omnibus severè interdixit, ne quis eos attingeret. Sed ipso dormiente, socii fame coacti, aliquot ex gregibus Solis boves mactaverunt pœnâ sceleris vindice subsecutâ Primò enim frusta carnium, quæ igni assanda superposuerant, tam horrendos clamores edidêre, ut timore exanimati, ad navium suarum latebras se receperint; deindè in altum invecti, orta tempestate perierunt omnes, præter unum Ulyssem, qui arrepto navis malo novem diebus à ventis atq; undis hinc illinc agitatus, tandem in Ogygiam Insulam appulsus à Calypso Nympha susceptus est, cujus consvetudine multos annos fruitus, validam benèq; instructam navem ab ea obtinuit, quâ in patriam reveheretur.

Sed Neptunus illi infensus, quòd Polyphemo filio suo oculum eruisset, hanc etiam ipsi navem ademit actumque de eo omninò fuisset, nisi ejus miserata Nympha Leucothoe, tabulã ei suppeditâsset, cui ille innitens incolumis in Phæacensem Insulã enatavit, quæ ad mare Adriaticum sita â nobis jam Corcyra dicitur; ibidem quòd nudus esset, se inter frondes occulavit. Verùm à Nausicae Arcinoi, illius Insulæ Regis filia ad littus maris repertus, vestes ab ea acce-

pit,

pit, ductusquè ad Reginam matrem, ex certis signis quæ ferebat corpore, agnitus, omnibus humanitatis, & honoris officiis acceptus est, quæ tanti Principis dignitas meritaquè postulabant: ibi collectis viribus, naviq; impositus, in Ithacam, quò tendebat, tandem appulsus est.

Erat tunc annus vigesimus, ex quo uxor ejus Penelope, mirè anxia incredibili ejus videndi desiderio tenebatur. Non deerant, qui ipsi persvadere vellent, eum jam diu in mari periisse, accebebant varii magni nominis Principes, qui eam in uxorem adhibitis magnis precibus, & promissis expetebant. Sed fortissimæ matronæ animus nullis potuit machinis expugnari, & mox eorum preces dubiis responsis eludebat, mox tantum moræ sibi ad certum aliquid statutendum fieri postulabat, quantum telæ, quam in manibus habebat, absolvendæ sufficeret: Sed mulier astuta, quidquid interdiu texuerat, noctu retexebat: eoquè commento eorum cupiditatem in reditum mariti distulit.

Interea Ulysses animi dubius, quo cõsilio sibi tutò viam in domum suam aperiret; timens nè ab uxoris suæ procis agnitus subitò opprimeretur; tandem Minervæ monitu, rustici habitum induit, tentavitquè animum Telemachi filii, & alterius ex aula Ministri, quibus se aperuit, eorumquè ope tectus, omnes trucidavit adversarios, & con-

conjugem cum plena bonorum possessione recuperavit.

Tot tantisquè defuncto periculis, quieto tamen diu esse non licuit. Ex Tiresia didicerat se à filio interemptum iri, ut itaquè se discrimini subduceret, locum procul ab aula desertum incolere decrevit. Sed cum Telegonus, quem ex Circe genuerat, in civitatem Ithacam appulsus, ut suam, in patrem observantiam testaretur, ab ingressu palatii, ut ignotus arceretur, excitato tumultu Ulysses intervenit, quem Telegonus non agnitum spiculo transfixit, cui spina truttæ marinæ affixa erat veneno illita. Hoc fato Heroum celeberrimus miserrimè occubuit.

CAPUT XXI.

Historia Æneæ.

TROJANI, viso civitatis patriæquè suæ exitio, alius aliò, prout suo quisque genio ferebatur, transmigrarunt. Alii cum Venetis Paphlagoniæ populis conjuncti, Antenorem, olim Trojanorum Ducem secuti sunt, alii Franco, alias Francioni, adhæserunt, plurimi tamen ad Æneam se recepêre, qui Venere natus, ut cap: 13. diximus, Creusam Regis Priami filiam uxorem duxerat.

Antenor cum filia in intimum maris Adriatici sinum delatus est, ubi sociatis

sibi

ibi Venetis prima urbis Venetæ jecit fundamenta. Inde in continentem digressus, Patavium, hodie Paduam, condidit.

Francus ad Rhenum substitit, postea in Gallias transiens, nomen illis populis suum indidisse à nonnullis creditur.

Æneas, collectis, ut potuit desolatæ urbis reliquiis Creusâ conjuge amissâ, elato in humeros, rarô pietatis exemplo, Anchise patre: acceptisquê secum Diis Penatibus, Ascanium filium manu ducens, venit Antandrum Phrygiæ urbem, ab Ida monte haud procul dissitam, ubi classem suam, 20. constantem ratibus, ad pandenda vela expeditam reperit. Indê ad oras Thraciæ appulit, ubi civitatem condere statuerat, nisi lamẽtabiles ejulatus, ex loco, ubi tumulatus erat Polidorus, de quo cap: præcedenti, prodeuntes, eum à suscepto consilio divertissent.

Cessit igitur in Cretam Insulam, ubi grassata pestis, idem ejus consilium intervertens, alió concedere cõpulit, didicitquê per quietem ex Deorum suorum Penatium oraculis, Italiam petendam esse, ubi fortunam esset experturus feliciorem.

Sed plenis jam velis navigans, ortâ tempestate, in Strophades Insulas projectus, ubi variis Harpyarum insidiis appetitus, evasit tamen in Epirum, & in Andromachen incidit, quæ olim Hectoris uxor, à Pyrrho deindê capta, & ab eodem, Heleno conju-

gata fuerat, cui etiam in cumulum provinciæ illius regnum attribuerat.

Æneas ab Heleno cum omnis benevolentiæ significatione exceptus, variisq; præceptis ad susceptam expeditionem necessariis ab eo præmonitus, Italiam versus discessit, & Scyllæ, Charibdisquè promontoria incolumis prætervectus, tenuit tandem Drepanum Siciliæ urbem; postquam & Cyclopum oras feliciter trajecisset, unde in libertatem recepit unum ex Ulyssis comitib9, quem infortunatus ille Princeps imprudens per oblivionem ibi reliquerat.

Nec defuit ibi doloris materia: Anchises enim pater, senio confectus vitæ metam ibi reperit. Mœrorem piissimi filii nonnihil mitigavit Acestus, qui Regnum Siciliæ jam grandævus obtinebat, singulari humanitate, qui discedentem variis muneribus prosecutus, vinum, omnisquè generis annonam, ad iter prosequendum necessariam liberalissimè suppeditavit.

Juno interea, quæ capitales jam diu cum Trojanis foverat inimicitas, Æolum convenit, suasitquè, ut suos adversùs eum laxaret ventos, & classe naufragio perderet. Periisset cum suis Æneas, nisi Neptunus hoc se nec consulto, nec permittente factum esse indignatus, mári tranquillitatem reddidisset, dissipatâ tamen pænequè concussâ classe, & in Africam non procul Carthagine vi procellarum impulsâ, anno jam post discessum septimo. Hic

Hic mihi à principiis Didonis, quam alii Elisam vocant, Historia repetenda est, quæ Beli, Tyriorum Regis filia Sichæo juncta fuit: quem cum Pygmalion Elisæ frater, thesauris ejus inhians obtruncâsset, illa idem malum verita, collectis, quæ supererant, opibus, navim conscendit. & in eum Africæ portum, qui Drepano in Sicilia è regione objicitur, delata, tantùm sibi multâ pecuniâ terrarum emit, quantum taurino corio posset circumdare: quo in loco usa stratagemate cûm corium in tenuissimas partes dissecuisset, locumquê satis amplum, amplexa esset, Carthaginem condidit, quam nonnulli à corio bubulo Byrsam vocarunt.

Æneas cum sociis ad hanc Reginam implorandi auxilii grátiâ veniens, ab eadem perhonorificê benevolequê exceptus, tantũ brevi tempore apud illam potuit, ut ad intimam familiaritatem admitteretur, quãvis enim Sichæo marito ê vivis sublato, cui unâ amores suos consecrârat, nullum de alteris nuptiis sermonem admitteret, & Jarbæ Getullæ Regis vicini sui necquicquam propterea indignantis, solicitationibus aures occlusisset, sic tamen capta est svavissimo Æneæ congressu, ut eum sibi conjugem deposceret.

Hic tamen â Jove monitus, post moram aliquam procacis mulieris retibus sese expediens, relictâ Africâ, ut fata sequeretur, iterum versùs Italiam contendit. Frustra

fuè-

fuêre omnes, minæ, & exprobrationes, quas amor desperans solet elicere. Illa amore in rabiem verso in rogum inscendit, & ferro trans viscera adacto, in conspectu Æneæ, qui jam portu solverat, in cineres abjit. Ita scripsit Vigil: lib: 4. Æneid, qui lib: 1. describit quemadmodum Æneas, postquam ex Sicilia discessit, classe per tempestatem disjectâ, in Africam appulerit, ibi â Didone humanissimè exceptus est, lib: 2. inducit illum de Trojæ excidio differentem: Tertio, ea recenset, quæ donec in Siciliam primò appulsus est, ipsi contigerint. Anno enim insequenti, relicta Carthagine, eòdem secunda vice ventorum procellis conjectus est; qua occasione usus, Anchisæ patris cineres iterum veneratus, ejus memoriam institutis variis præliorum generibus celebravit. Deinde dimissâ imbelli turbâ â Civitate, cui Acestus imperabat, iter Italicum profecutus est.

Cumas ergò appulsus Sybillæ antrum adiit, ut ab ea documenta acciperet, quibus iter ad Inferos, & campos Elysios, quod animo designârat, ut ab Anchise patre futura fata edoceretur, feliciter absolveret: successitquè ex voto consilium, postquam ramum reperisset, qui erat Proserpinæ offerendus.

Ab inferis redux, repetita navigatione ad Tiberis ostium pervenit, quò compulsis navibus Laurentum, quod Latinus Rex mo-

dera-

derabatur, tenuit; cujus hoſpitio peramicè acceptus, narratâ causâ itineris, Regis animũ ita ſibi demeruit, ut Lavini filiã ipſi uxorem promiſerit. Nã ab Oraculis acceperat eam peregrino huic Principi Deorum providentiâ deſtinatam, quamvis Turno Rutulorum Regi, quem præ reliquis procis Amata Latini uxor deperibat, jam diu deſponſata fuiſſet.

Hæc mitioris fortunæ aurora Æneam in novas ſpes erigebat, animumquè tot calamitatibus fractum recreabat, ut præteritorum oblitus, votorum metam jam ſibi prope attigiſſe videretur. Sed Juno Trojanis infeſta, tam felicibus auſpiciis graviſſimè indignata, Alecto furiam ex orco accerſit, quæ belli faces accenderet, ſpeſquè Trojanorum everteret.

Et Turnus quidem æmulatione ſtimulatus, advocatis fœderatorum auxiliis potentem exercitum conflaverat, cui cùm Æneas reſiſtendo longè imparem ſe videret, variè ſpem inter & recentem metum agitatus, â Tiberino Deo monitus, ulteriùs ſuum movere militem ſtatuit, proximè ad locum ubi Roma deindè condita eſt, reperitquè Evandrum Regem, cujus amicitiâ ſibi conciliatâ, auxiliares ab eo copias obtinuit, quibus Pallas unicus Regis filius præeſſe voluit, ſequè Trojanis adjunxit. Interea Æneas oblata occaſione uſus, ad Tyrrhenos ſe contulit, ut gentem illam ſuis parti-

partibus adjungeret, qui adversûs Mezentium Regem suum arma sumpserant, quod inauditâ crudelitate in suos desæviret, solitus vivos cum mortuorum cadaveribus ore ad os applicato colligare, ut diuturno languentes supplicio necarentur.

Æneâ interim pro auxiliis absente, Turnus milites ejus aggressus, variis præliis lacessivit. Huc accedebat jactura navium, quæ à Rutulis flammis consumptæ in Nymphas marinas conversæ sunt, Jovis beneficio, quem Cybele Trojanorum protectrix suis ad hoc precibus inflexerat. Etiam ad extremæ necessitatis angustias devenerant, cùm Æneas validam Tyrrhenorum manū in suppetias adduxit, Venere adversus Junonis machinationes nihil omittente, quo ipsi Jovem conciliaret, â qua Æneas nova arma accepit, Vulcani arte ita elaborata, ut iis tectus nullum in præliis formidaret: Clypei imprimis aspectu ad magna quæque excitabatur, qui res, â posteritate Romana fortiter gerendas divinâ cælaturâ complectebatur.

Multum sangvinis in hoc bello utrimquè effusum est. Æneam tamen nihil æquê afflixit ut mors Nisi, & Euryali, deindè Pallantis Evandri filii, quorum jacturam Rege Mezentio, & Lauso ejus filio interfectis, utcunq; compensavit. Camilla Volscorum Regina Turni exercitum fortitudine sua roborabat: præter alias dotes præclarissi-

clarissimas, ipsos Leones generositate superabat, tantaquê valebat agilitate corporis, ut currendo terram non attingeret; Sed spiculo forte emisso confixa in conflictu occubuit: cujus morte Rutulorum exercitus non parum gavisus est.

Inter hos incurrentium in se vicissim copiarum conflictus, Æneas sagittâ vulneratus est: sed accepto à Venere dictamno statim curatus, suorum animos ita accendit, ùt Turnus desperatâ victoriâ suo unius discrimine bellum absolvere cupiens, eum ad singulare certamen provocaret. Lætus Æneas, nihilq; moratus, conditione accepta, eum solo affigit, occiditquê: deindê Laviniâ & Regno Latinorum potitus. Lavinium urbem haud procul Laurento exstruxit, validisquê tum operum, tũ militum præsidiis confirmavit.

In hoc Regno postea successit Julus Ascanius ejus filius, qui & Albam Civitatem, cognomine Longam condidit, cujus incolæ Albani vocati sunt: hæc fuit Romanorum sedes usquê ad Romuli tempora, qui prima jecit urbis Romanæ fundamenta, redactis in suam potestatem circumjacentibus provinciis. Albam deniquê funditus evertit Tullus Hostilius, qui Rex Romanorum tertius fuit.

Priùs quâm hanc absolvam Historiam notandum duxi, vera multis Pòetarum cõmentis admixta esse; nam ut alia prætermeam, con-

constat meram esse Virgilii fictionem, cùm Didonem in Æneæ Historiam inducit, ad poematis sui ornamentum; cùm nec Dido vixerit, nec Carthago condita fuerit, nisi ducentis vel trecentis annis post Trojæ eversionem.

CAPUT XXII.

De veritate fabularum.

QUANQUAM veritas sit luci similis, mendacium errorumquê tenebras destruendo; pleræquê tamen fabulæ ab ea suam ducunt originem, & ad illustrandam non parum serviunt.

Ita dicebant Veteres, cœlum patrem esse Saturni, quem tempus vocant, sive quòd assidua revolutione, & Sphærarum semper â se recedentium, semper statis temporibus recurrentium, reciproco motu mensuram nobis offerat, qua rerum omnium duratione distingvimus: sive quòd temporis velocitatem significat. Deindè quia tempus omnia producit, & destruit, quæ rerum natura cõplectitur, Saturnum habitu senis depingebant, alis instructi, & falcem dexterâ præferentis, quâ quidquid vivit indiscriminatim demetit: fingunt etiam ab eodem vorari lapides, propriosquê filios, quôd omnia tempore consumantur.

Secundò cùm antiqui Janum fingunt bicipi-

cipitem, magni Principis sapientiam nobis repræsentant, qui ex prudenti præteritorum consideratione, futura disponit, ne temerè aliquid suscipiat.

Pari modo homo prudens, & providus, ad omnia, quæ in mundo contingunt; animum sagaciter advertit, ut hac cogitatione ad suum utatur commodum, sic privatis intē-tus studiis, ut publica alienavè negotia procul à se removeat: in quo celebratissimum illum Gygem imitatur, qui tam admirandæ virtutis annulum habebat, cui insertam gemmam cùm invertisset, ipse videns omnia, à nullo videbatur.

Et ne innumeris ejusmodi mysteriis, quæ variis in locis in hujus Historiæ decursu notavimus, immoremur, iidem antiqui, ut modum nos docerent, quo Prometheus in publicam hominum vitam, ordinem & politiam induxisset, ab agresti, pænequè belluina vivendi ratione, ad humaniorem eos traducendo, homines ab eo formatos esse ex luto productosq; afferebant. Eandem ob causam lapides à Deucalione, & Pyrrha in homines commutatos esse. Amphionem ad suæ cantum cytharæ Thebarum mœnia extruxisse, quôd eâ, quâ pollebat in dicendo facũdiâ, incolas antea per montes & sylvas, ferarum more errábundos, ad communis vitæ societatem pellexisset. Quia Prometheus artem primus invenerat, docueratquè ignem è silice, utrumquè mutuò confricando

do eliciendi. Illum cœlo ignem attraxisse confinxerunt. Idem in Caucaso monte, siderum cursus contẽplando, Astronomiæ studiosissimus, plerumquè morabatur, hinc capta fingendi occasio, eum á Mercurio monti huic alligatum; per vulturem autem jecur ejus assiduè depascentem eûm studendi contentione & commentatione continua, sensim atteri & consumi significabant. Ita fratrem ejus Atlantem, cœlorum molem suis humeris sustinentem finxêre quod ipsè Astrologiæ peritissimus sphæræ cœlestis, quam manibus persæpè versabat, usum primus invenisset.

Argus eodem tempore Civitatem ædificabat, cuj nomen suum indidit, & quia Princeps rara in agendo solertiâ, & sagacitate præditus erat, causam dedit, tot ei oculos affingendi.

In Historia Persei diximus quemadmodũ præclarissimas dotes repræsentet, quæ exercituum Imperatorem comprimis decent. Meminimus, & alati Pagasi qui, si veterum mentem inspiciamus, nihil aliud erat, quã navis suis velis explicata quam Bellerophon adversùs Chimærã progressurus inscendit. Ita & alæ, quas Dædalo attribuunt, erant etiam navium carbasa, quarum usum invenit, cùm ex Creta se recipere cogitaret.

Quæ de Icaro & Phäetonte fabulantur, sunt meræ figuræ, symbola ambitiosorum, quemadmodum Tantali, & Harpyarũ Historia

toria ad avaritiam, Sirenum verò ad obſcœnas hominum libidines carpendas pertinebat. Eorundem vitiorum ſymbolum erat vultur in Promothei viſcera deſæviens, ad ſignificandos pravæ conſcientiæ cruciatus. Eôdem Eumenides, & Oreſtis furiæ referuntur.

Si quos viderunt rara virtute, induſtria, auctoritate, potentia longê ſuper alios eminentes, Deos appellabant. Hâc viâ Jupiter, aliâs Rex Cretæ, quam Candiam vocamus, Deus creditus eſt, uti & duo ejus germani, Neptunus & Pluto, ut in Hiſtoria ſancta nôtavimus, Neptunus maris Deus creditus eſt, eo quôd navali exercitui imperaret, & Pluto inferorum Deus, quòd exequiarum uſum, quibus mortuis parentatur, primus induxerit. Regum, aulæ, & Palatia erant Pôëtis cœlum, undè ſi quis eliminaretur, ex cœlo deturbatus eſſe dicebatur: ſi quo periculo feliciter defungeretur, ſatis erat, ut in avem converſus, & avolâſſe diceretur. Latere in ſilvis, erat in animantem mutatum eſſe; ut Lycaoni Pelaſgi Arcadiæ Regis filio contigit, quem Jupiter perſecutus, quòd Deorum cultum dicteriis traduxiſſet in lupum transformavit.

Qui cœco ſui amore clari, & arrogantiâ tumidi cæteros omnes velut infrà ſe poſitos aſpernantur, in Narciſſi Hiſtoria perfectè depinguntur, qui propriam ſpeciem in lympido fonte relucentem contemplando,

ut irat

ut erat rara venuſtate ſpectabilis, tanto apparentis illius imaginis amore captus eſt, ut ceræ inſtar ad ignem poſitæ conſumptus ſit, & ad hoc objectum immobilis perſiſtendo ſenſim elanguerit moriendoquê florẽ illum, qui ejus nomen retinet, produxerit.

Cap: 5. de vaniſſima præſumptione Marſyæ alicujus, aut Mydæ loquebamur, poſſemusquê infinitos alios apologos ad hanc materiam pértinentes referre, quibus ejuſmodi vitia pingerentur. Ut de Cornice, quæ omnium rerum ſingularem intelligentiam ubique affectabat, verbis magnificis importunê apud omnes, arroganter ſua prædicando; cûm tamen plumas quibus ſibi ſpeciem aliquam conciliaverat, ab aliis avibꝰ emendicâſſet: ut nihil dicam de inepto illo & præ ſenio vix pedibus conſiſtente ſuis aſino in Arcadia, qui ab aliis ejuſdem Regionis aſinis, quòd præcentorem inter eos diu egiſſet, ſibi perſvaderi paſſus ſuerat, ſe canendi peritia juniores illas Philomelas longê ſuperare, quæ ſui admirationem omnibus concitabant. Sed hæc exempla ſufficiant, ex quibus colligatur, quis fabularum uſus eſſe poſſit.

Hic tamen notabimus, quemadmodum ex antiquiѕ Philoſophis plurimi tegere volentes religionis ſuæ infamiam, omni ſtudio contenderint, ut quæcunque Diis ſuis attribuebantur, & quidquid de tot, tamquê alienis à vera ratione metamorphoſibus hactenus

ctenus retulimus, pro allegoriis ejusmodi, vel symbolis rudi plebe ulæ venditarent. Nihilominus extra omnem controversiam positum est, ea omnia, qualibuscunq; tandem principiis emanârint, pro veris religionis suæ fundamentis ab Ethnicis esse credita tantâ sæculorum intercapedine; neque veriora alia vel sanctiora Mysteria, præter figmenta ejusmodi, & deliria, habuisse; nullam religionem aliam agnoscentes, in qua verum Deum colerent. Sive eorum templa spectes sive festa, ritus & sacrificia, ad Deorum hujusmodi cultum referebantur universa. Hoc est, quod sacræ Literæ testantur; hoc auctores tum sacri, tum profani uno ore confirmant. Hoc est, quod Patres; qui sub Ecclesiæ nascentis primordia rarâ sanctitate, & doctrinâ celebrabâtur, idolorũ cultoribꝰ tã frequenter exprobrabant; quod tot viri inclyti, ad Christi fidem conversi verissimum esse suo testimonio comprobârunt.

Neque licebit dicere errores fuisse populares, sive rudis tantummodo plebeculæ. Nam & ipsi Philosophi; lumine naturali adeo perspicaces, quamvis unius veri Dei veritatem evidentissimè agnoscerent, ut in Epistola ad Romanos Apostolus contestatur, omnibus tamen illis superstitionibus tenacissimè adhæserũt, sive quòd probroso legum communium timore arcerentur, sive quod detestabili ignavia à populo dissentire, eiq; di-

displicere non auderent. Quod autem omnem excedit admirationem, Monarchæ ipsi, & imperiorum status in quibus erant Viri doctrinæ politicæ, & civilis prudentiæ peritissimi, ingenio eminentes; aliisq; virtutum omnium insignes ornamentis, quorum semper & ubique gentium magna copia extitit, eò cœcitatis devenerunt, ut sidera passim, & elementa adorarent, eosquê Principes divinis prosequerentur honoribus, qui inter eos olim imperaverant.

Ita Chaldæi Beli, sive Bellæ, qui primus Assyriorum Rex fuerat, divinos cultus decreverunt. Historia Danielis nos edocet, ab Imperatoribus Babylonicis non Beli tantùm idolum ex patriæ religionis consvetudine adoratũ esse: sed Draconem etiã quẽ palam omnibus, Daniel disrupit, ut qui verus Deo esset, agnoscerent, uti in Historia sancta, & sub hujus operis initium retulimus.

Quo tempore Ægyptii omnium scientiarum laude præ reliquis populis celebrabantur. sua tamen templa Deo Serapidi præcipuê consecrabant, qui bos erat peculiari notâ insignitùs. eò quöd Osiridem, suum olim Regem, Jovis filium, post mortem in bovem transformatum esse crederent, indẽ detestabilis in Judæos inclinatio promanavit vitulos adorandi. Postea Ægyptii pro Osiride Solem, & pro Iside Regina ejus conjuge Lunam adorârunt; nec puduit Felibus, Crocodilis, Cepis ipsis & Alliis divinitatem ar-

irrogare, quia, ut ipsi delirabant, bello Gigantum sæviente, Dii in Ægypto latebras quæsiêrant, sequè ut laterent, in res ejusmodi transformârant.

Romani Senatûs decreto, Cœsarum suorum non paucos in numerum Deorum retulerunt, ut obscænum illum & infamem Antinoum, Adriano Cæsari gratissimum præteream; cui altaria erexerunt, ut assentarentur dolori sui Principis, quem ex ejus morte conceperant; eumquê in stellam conversum ei persvaserunt, quæ, illa tempestate recens in cœlo apparuit.

Undè concludemus, hanc impietatē, & deliria non ita stolidæ plebis fuisse propria, quin etiam maximorum hominum animos occupaverint, fuisseque pro axiomatis religionum, & primis, ut ajunt, principiis habita, quæ solæ in florentissima regna & imperia admittebantur. Præterea eorum numerum, qui contra sentiebant, per exiguum fuisse, minimæquè auctoritatis statuamus necesse est, qui tam execrandæ impietatis cursum sisterent: vel certè perduellibus illis erant persimilies, qui in nefarium legitimi Principis sui despectum, iniqui alienarum possessionum invasoris obsequiis sese addicunt.

Hæc tam stupenda cæcitas ex iis iterum apparebit, quæ 1. cap: lib: sequentis referemus.

LIBER

LIBER TERTIUS. DE HONORIBUS, QUOS ETHNICI DIIS SUIS EXHIBEBANT.

PRÆFATIO.

DEI cognitio, qua cælitus illustrati sumus, obligationem necessariò importat, honorem ipsi, cultumquè supremum deferendi, cùm honorem aliis debitum ex merito & dignitate, qua cæteris eminent, metiamur: estquè virtutis illius effectus, quæ inter morales excellentissima, Religio à Theologis appellatur; cum ex aliis virtutibus omnibus, alia sit nulla, quæ actionem tam justam, tamque sanctam præcipiat, ut Religio.

Ita submissione, & depressione externâ Deus adoratur, in supremæ & absolutæ authoritatis signum, quam eum in nos obtinere profitemur: ita per orationem ad eum velut au-

auctorem fontemquè omnis boni recurrimus, ita laudes ejus prædicamus, & merita extollimus: ita ab omni hominum memoria, decreta ipsi sacrificia, velut primo principio, ultimoquè fini rerum omnium creatarum, & supremo vitæ necisquè Domino. Ita in hunc etiam finem templa illi consecrantur, eriguntur aræ, festa celebrantur ut præcipua hominis occupatio, in actionibus, ad ejus gloriam tendentibus, præcipuo studio versetur: ab hac demum religionis virtute famulorum Dei procedit devotio, quæ fervorem & alacritatem in rebus ad eum pertinentibus suppeditat.

Posteaquam Dæmones totum terrarum orbem sua Tyrannide oppresserant, proscripta penitusque extincta veri Numinis cognitione, & seeipsos, statuasque suas Divinis colendas honoribus proposuerunt: religionis jura omnia & prærogativas usurpàrunt.

Nam vota precesque, seu publicæ, seu privatæ ad eos dirigebantur, templa illis, & altaria dedicabantur; festa & sacrificia, ludi publici; aliiquè ritus ejusmodi in eorum honorem instituebantur, ut hoc ultimo libro ostendemus, quo hoc opusculum absolvamus.

DE HONORIBUS QUOS ETHNICI DIIS SUIS EXHIBEBANT.

CAPUT PRIMUM.

QUIA præclarissimæ dotes, eximiaquè corporis, & animi decora hominū neminem inevitabili moriendi necessitate eximere potuerunt, & tempus mortales omnes perpetua oblivione sepelit; ad imagines & statuas confugimus, quibus, eos nobis ob oculos perpetuò proponimus, omniquè tradimus posteritati, in æterna nepotum recordatione victuros, & quodammodo sui ipsorum superstites.

Ita laudibili Majorum instituto in vera JESU Christi Ecclesia consvetudo obtinuit, Servatorem nostrum per imagines, & signa nobis repræsentandi, uti, & sacro hoc peculio cogitationes à terrenis ad cœlestia convertamus, & in his velut, in aperto codice rudis populus vitæ ejus, & mortis mysteria legat, condiscatquè.

Istæ imagines vel statuæ sunt profectò gravissima honoris testimonia, sunt cultu, & veneratione prosequendæ, ob eam quam ha-

habent cum ſuis prototypis ſimilitudinem quamvis omnis ille cultus, quem illis exhibemus, ad perſonas, quæ repræſentatur, ex intentione referatur.

Ethnici verò ſtatuas Diis ſuis exhibentes, duplex enorme ſacrilegium committebant, primum, quod præter Deum verum hoc ſupremo cultu unicè adorandum, complures alios agnoſcerent. Alterum, quòd has eaſdem ſtatuas pro Diis haberent, manuum ſuarum opera in Idola convertentes. Hoc enim ſingulariter obſervandum eſt, Idola ſi propriè loqui velimus, rerum verarum non eſſe imagines, ſed vel ficta Numina, vel certe ſic accipi, quaſi forent Numina. Et hæc cauſa eſt, cur Apoſtolus Idolum vocaverit Nihilum: quod de Sanctorum imaginibus dici nequaquam poteſt, cùm perſonas verè ſubſiſtentes repræſentent.

Adde Idola ab Ethnicis verê & propriè adorata eſſe, ut Numina; neq; rudis tantùm plebeculæ hunc abusũ fuiſſe, licet ex ſapientioribus nonnulli eorum falſitatem ac inanitatem probê agnoſcerent, ut ſub finem libri præcedentis oſtendimus. Hoc ipſum in variis Scripturæ locis ipſius æternæ veritatis Oraculo teſtatum legimus, ut cap 13 & 14 Sapientiæ, & in Pſalmis ubi Regius vates graviſſimo ſententiarum pondere exprobrat Idololatris, quòd manuum ſuarum adorent opera, quæ cùm oculos habeant, aliaquè corporis organa, nullam tamen poſſint

vitalem rationem producere. Eandem sententiam clarissimis verbis comprobarunt ex divinis Prophetis alii, quamplurimi, idemquè singulariter expressum in Prophetia Baruc cap: 16. ubi Propheta variis argumentis probare nititur, Idola Ethnicorum Deos non esse, ut gentem suam ab impio eorum cultu abstraheret. Ita & Rex Babylonis, & omnes ex ejus aula Proceres Deos suos aureos & argentos deprædicabant, ut ait Daniel cap: 5. & hunc Prophetam ad Belũ suum adorandum compellere conabantur. Atq; ob eandem causam gentium Apostolus eorum vanitatem suis in epistolis toties explodit, variasquè adducit rationes, ut filii ab ipso recenter in Christo geniti gratiã illam inæstimabilem agnoscant, qua ab Idolorum mutorum, & vitæ sensuumquè expertium cultu, ad agnitionem Dei veri & vivi traducti fuerant.

Bellarminus in quarta controversia Tomi secundi lib: 2. cap: 13. ostendit à SS. nascentis Ecclesiæ Patribus, nihil frequentius Idololatris objectũ & exprobratũ esse, quàm maximam Deorum, quos colebant partem, non esse nisi muta ex marmore vel metallo simulacra, quod ipsum Arnobius, ab illis superstitionibus ad Christi Ecclesiam conversus, uti & alii vitæ sanctimoniâ, & rebus sapientissimè scriptis gestisquè celebres, palam ingenuè fatebantur. Ipse Trismegistus, teste S. Augustino, Idolis istis sacrificia

ficia offerri debere credidit, vel ad beneficia impetranda, vel avertenda mala. Postremò hoc absolutè definivit Concilium Tridentinum, sess. 25. ubi disertis verbis pronunciat, Ethnicos spes suas in Idolis collocâsse, & divinitatem in illis agnovisse.

Hæc obiter annotare placuit, ut hanc doctrinam Calvino opponerem, qui contrarium docet, ut Catholicos imaginum JESU Christi cultores Idololatriæ accuset, supponens Idola ab Ethnicis, velut nuda Deorum signa considerata fuisse, non autem propriè ut Deos adorata.

Hoc loco celeberrima Antiquitatis Idola referre potuissem qualia erant colossus Rhodiorum, Diana Ephesiorum, Atheniensium Minerva, in cujus clypeo suam artifex imaginem tanto artificio expresserat, ut nemo delere posset, aut divellere, qui totam statuam non imminueret. Sed hujusmodi missa facio, quæ curiosus Lector in aliis libris fusè descripta reperiet.

CAPUT II.

De Templis falsorum Deorum.

CELEBRABANTUR olim omnium sermonibus septem diversa opera, quæ septem mundi, miracula dicebantur; primùm fuit mœnium Babylonis structura, & horti pensiles, quæ Semiramis condidit, trecentis hominum millibus in dies per annos aliquot

quot desudantibus. Alterum erat in Ægypto labyrinthus, descriptus ab Herodoto, ubi præter alia admiranda, sedecim amplissima magnificentissimaq; palatia totidem Regni provinciis respondentia visebantur, opus autem universum tot uiarum á se abeuntium, redeuntiumquè occursibus, ambagibusquê perplexum erat, ut exitum inde reperire nemo posset. Ab hoc prototypo illius labyrinthi ideam desumpsit Dædalus quem in Creta insula construxit. Tertium faciebant; etiam in Ægypto magnitudinis prodigiosæ Pyramides quarum una sexcentorum hominum millium assiduè per annos viginti desudantium opus fuit, ut communiter dicebatur.

E Mausolo Cariæ Regi mortuo Artemisia uxor sepulchrum tantâ operis magnificentiâ extruxit, ut inter septem orbis miracula fuerit numeratum. Ab hujus autem operis similitudine sepulchra omnia sumptuosiora, Mausolea sunt appellata. Hunc Regem tam ferventi amore prosecuta est uxor Artemisia, ut ejus fato perfuncti cineres vino permistos tradatur ebibisse, ut eos in corde suo tumularet.

Collossus Rhodius, de quo ante meminimus, locum etiam inter hæc miracula obtinebat.

Statua Jovis Olympii sexto loco numeratur; quæ, teste Pausania, ex auro & ebore à Phidia in tantam magnitudinem elabo-

borata est, ut nisi in sede fuisset collocata, longè supra templi fornices, ut refert Strabo eminuisset.

Sed inter hæc opera, quæ tantam, sui admirationem omnibus concitabant, templũ Ephesinum Dianæ consecratum prorsùs erat incomparabile. Plinius lib: 36. Historiarum cap: 14. scribit, ejus longitudinẽ quinque; & viginti suprà quadringentos passus, altudinem verò viginti ducentos excessisse, in eo centum viginti columnæ fuerunt, singulæ à singulis Regibus factæ, qui hoc opus, singulare pietatis & magnificentiæ monumentum esse voluerunt: ita ut Asiâ universâ in hoc opus conspirante, tandem post ducentorum annorum laborem steterit absolutum.

Idem erat, initâ proportione in aliis per orbem templis admirandum. Et ne sigillatim omnia commemorare debeam, sat erit si dixero Reges & populos, in hoc ferè solum opes omnes & industriam convertisse, ut alia atq; alia extruerent.

In templis tria ùt plurimum altaria visebantur. Primum in primo statim limine occurrebat, ubi victimæ immolabantur, Alterum circa medium, tertium in extrema parte, quod modò *Adytum* vel *Sacrarium:* modò *Secreta* aut *Penetralia* appellabant, in quibus sola ferè Aromata, aliique odores adolebantur.

Ibidem structi lecti, & posita pulvinaria, lon-

longo ordine videbantur, quæ vocabant *Lectisternia*, sive ut usui essent sedentibus, sive ut ibi convivia Diis pararentur. Qui huic Cæremoniæ præerant, *Epulones* dicti, mensis accumbebant: & quia Dii isti vitæ prorsùs sensuumquè omnium expertes erant utiq; nec edere poterant, nec bibere, ut Daniel Regi Babyloniæ de Belo ostendit: ita omnis iste ciborum & lautitiarum apparatus, impiis illis Parasitis cedebat, qui ex cibis, Diis ligneis & lapideis appositis gulam egregiè saginabant.

CAPUT III.

De Sacrificiis Ethnicorum.

DÆMONES, veri Dei gloriam præ invidia non ferentes, nec frugibus terræ nec omnigenis animalibus, quæ sibi passim in Sacrificium offerebantur, haud acquiescentes, ut sunt ad omnem crudelitatem efferi, vivorum etiam hominum victimis, se coli voluerunt.

Hujus exemplum habemus in Virgilio, qui ab Ænea in gratiam Pallantis, Diis inferorum octo milites genere illustres sacrificatos esse memorat, quos ex hostibus captivos fecerat. Mos hic fuit non Romanorum modò, sed omnium totius orbis nationum: & pueri Diis Penatibus passim immolabantur, ut hoc impiissimæ pietatis ge-

nere familiæ salutem & incolumitatem stabilirent. Taurici Scythiæ populi nefandâ hospitum immolatione Dianã suam propitiabant, ut in Orestis, & Iphigeniæ historia meminimus. Bacchus aram habebat in Arcadia, ubi tenellæ virgines flagris lacerabantur: Quod inhumanitatis genus adversûs liberos Lacedemonii exercebant in honorem Mercurii. Teutones & Cimbri, homines non sacrificabant prius: quâm inauditis eos suppliciis laniâssent. Alii viros seniô graves præ cæteris eligebant, quibus ut se expedirent, quòd jam viderentur ad omnia inutiles, & Deorum gratiam inirẽt, in aquas devolvebant, unde *Senes Depontani* vocabantur.

Hyperborei lautis epulis cum amicis saginatos, & floribus redimitos ex prærupto monte in subjectum mare præcipites agebant. Cæsar in suis commentariis de antiquis Gallis refert, solitos aliquando fuisse statuam ex salice enormis magnitudinis erigere, quam vivis completam hominibus ante sua Idola accendebant. Alexander Aristomeni cujusdam meminit, qui in unico Sacrificio homines trecentos jugulavit.

Plurimi propriis liberis non parcebant, quod erat propê quotidianum inter Ægyptios, & Palæstinos. Hoc probrum Israëlitis per varia loca Scripturæ sacræ Deus improperat, qui detestanda hac consvetudine Ethnicos imitabantur, liberos suos per duos

os, ignes tamdiu traducentes donec abirent in cineres, vel Idolo, ex ære concavo, igne rubenti, quod *Moloch* dicebatur concludentes, in quo dum lentis ignibus consumebantur, inflabantur interim buccinæ, & tympana reboabant, ne miserorum ejulatus exaudirentur, unde loco nomen *Tophet*, id est Tympanum inditum, ad ipsos adeò Reges Achab, & Manassen hæc peruasit impietas. Hinc facilè colligemus, quantum sese homines â Dæmonibus excæcari permiserint, ut tantam barbariem non reformidarent, cuj jura naturæ & humanitatis omnia reclamant. Ut taceam, quod memorat Drexelius, Mexicanos à Dæmonibus coactos fuisse viginti millia cordium ex vivis totidē puerorum pectoribus excisorum in annos singulos sacrificare.

Jam verò non minor erat in Sacrificiis quæ pro defunctis fiebant, immanitas Nam à plurimis populis hæc lex inviolabiliter servabatur, ut in omnibus hominum genere & dignitate illustrium funeribus, ji mactarentur, qui ut fuerant vivis gratissimi, ita obsequium aliquod in altera vita demortuis præstituri credebantur.

Alii quotquot ex hostibus ceperant, jugulabant, ut author est Virgilius: & meminit Achillis Homerus, qui Trojanos duodecim Patroclo amico suo immolavit. Famosus ille gladiator Spartanus, qui ex collectis mancipiis justo exercitu comparato,

Roma-

Romanos auſus eſt laceſſere, trecentos in bello captos coëgit mutuis ſeſe vulneribus concidere; in Ducis alicujus honorem, quē in prælio amiſerat, ut ita Deorum ipſi Infernalium favorem conciliaret. Hæc impiiſſima conſvetudo, ita apud Romanos invaluerat, ut ſi quem ex reip: Proceribus, aut Imperatoribus amiſiſſent, multa Gladiatorū copia; fuſo cum vita ſangvine, eorum mortem expiare cogeretur.

Porrò diverſa fuerunt Sacrificiorum genera. Cùm pro terræ frugibus fiebant, victimâ per agros circumlatâ, *Ambarvalia* dicebantur. Centenis aliquando hoſtiis vg. bobus conſtabat Sacrificium, & vocabatur *Hecatombe*. Sed hæc miſſa faciamus, & de Cæremoniis ab eis ſervari ſolitis pauca breviter expediamus.

Primum igitur, certæ animantium ſpecies, prout erat Deus ille, cui adornabatur Sacrificium, eligebantur, Mars enim furioſa tantum & bellicoſa animalia, quales Tauri, requirebat: cujuſmodi offerre Jovi nequaquam licuiſſet, Neptunus mox Tauris, mox equis placabatur. Capri Baccho reſervabantur, quod ſolent vineas infeſtare. Ceres & Juno bobus, Diana cervis, & capellis Faunus, alii aliîs delectabantur.

Sollicitè curabatur, nè quâ labe aut ſordibus, victima notaretur, debebantq; antē certo ritu luſtrari, uti & qui Sacrificiò interant; alioqui recedendum erat: quod

Præ-

Præco monebat elata voce clamans: *Procul este prophani.*

Deindè libum aliquod ex frumento tosto compositum habere Sacerdos tenebatur quod *Salsæ fruges* vel *mola salsa* vel *Libum adoreum* vocabatur,, vel certè farinâ sale mixtâ conspergebatur victima, aliâs illegitima censebatur.

Postremò jugulatam victimam injiciebāt in ignem: offerentes autem, aram manu tangere debebant, preces suas cum orante Sacerdote conjūgentes; igni deinde vinum affundebatur. Si *Holocaustum* esset, flammis omnia consumebantur: in aliis verò Sacrificiis pars Sacerdotibus, pars etiam offerētibus servabatur.

Peracto Sacrificio, circum Altare Choreæ ut plurimum ducebantur, & Hymni vel Odæ in Deorum, quibus sacrificaverant, honorem concinnatæ canebantur, tribus aliquando partibus dictæ, quarum prima, cùm ab Occidente versùs Orientem currerent, *Strophe* dicebatur; alia cūm ex adverso reverterentur *Antistrophe*; tertia Epodus â stantibus ante Altare cantabatur.

Interea qui Sacrificium peragebat, suo operi diligentissimè intendere debebat quem propterea monebat Præco clamans: *Age quod agis* uti sub initium inclamans: *Favete lingvis*, silentium ab adstantibus exposcebat.

CAPUT

CAPUT IV.

De Sacerdotibus Ethnicorum.

UT aliquam Sacrificiis suis Majestatem conciliarent, erant perpetuò Sacerdotes, id est, homines Deorum servitio singulariter addicti, quorum opera, & authoritate ritus omnes ordinabantur.

Curetes sive Corybantes, qui & Galli Phrigiæ appellabantur, Cybeles obsequiis erant destinati, ut cap: 2. lib: 1. retulimus. Erant apud Romanos Virgines Vestales, Vestæ sacris, perpetuique ignis custodiæ dicatæ, & â Numa Pompilio primùm institutæ, qui volebat, ut author est Florus Historicus, ut quemadmodum sidera in cœlo perpetuo fulgore collucent, ita & hi ignes custodes imperii continuas quasi agerent excubias, ad salutem reip· conservandam.

Præter eos, qui Lupercales ludos ab Evandro institutos celebrabant, Romulus ex quadam Acca Laurentia filios elegerat, qvos, cùm pro terræ frugibus Sacrificia destinabant, consulere oportebat; quorum Nepotes ob hanc causam *Fratres arvales* dicti sunt.

Plures alios Sacerdotum ordines idem Numa instituit, ut Deorum cultui majorem indè splendorem accerseret. Martis Flamines *Salii* vocabantur, eò quòd ritus saltan-

do

do peragerent, eratque illis magni illius Clypei, quod *Ancile* dicebãt, demandata custodia, quo fata Romanorum contineri credebantur. Sed ut de Sacerdotum varietate pluribus abstineamus, observandum est, ut Sacerdotalis dignitas illustrior redderetur, tandem sibi Reges quosdam honori duxisse, eratquè certa in Sacrificiis functio, quæ illis solis debebatur. Et Numa veritus ne Reges militaribus publicisve curis impliciti hoc munere perperam fungerentur, Diis singulis destinavit Sacerdotes, qui Regis obirent vices, & *Flamines* à voce *Filamen* vocabantur, ob aliqua lanæ fila, quibus caput cingere consveverant. Præterquàm quòd singuli Flamines Dei illius nomine distingverentur, cujus Sacris præerant, ut Sacerdos Jovis *Flamen Dialis*, Martis *Martialis* nuncupabatur.

Qui Jovis sacra administrabat, cæteris dignitate eminebat, & solus candido insignis pileo utebatur, adhibebatquè ad ornatum purpuram, quæ dicebatur *Trabea*, cujus alias usus solis Diis, & Regibus, item Auguribus, sacris operantibus erat permissus.

Extinctis tamen post Tarquinium Superbum Romæ Regibus, ex Sacerdotibus aliquis creatus est, qui in suis functionibus Regis titulo utebatur; nè qua fortè in vulgus manaret suspicio, quasi cum Regibus religio labefactata esset; licet sua in rep: nullum amplius Regem agnoscerent.

Nec

Nec pro aris tantûm & templis, sed etiam pro reip. negotiis Sacerdotes instituti. Qui enim *Feciales* vocabantur, ad hoc solum modo serviebant, ut fœderibus, cum exteris nationibus sanciendis præessent. Neq; pax aut bellum concludi legitimè poterat, nisi æqvum esse ipsi declarassent. Bello autem decreto Summus Sacerdos, qui *Pater Patratus* dicebatur, ad id denuntiandum mittebatur. Uti & ratis habitis pacis conditionibus, ad aram cum porco ad pedes posito procedebat, quem uno ictu conficiebat; hoc â Diis precatus, ut qui sopitum bellum suscitarent, pari fato mulctarentur.

Erant præter Sacerdotes & Arioli, sive Divinatores, quibus incumbebat vel futura prædicere, vel Deorum voluntatem explorare, cùm de negotio graviori suscipiendo consultabatur. Ex horum numero alios vocabant Haruspices, qui ex intestinorum iliorumquè victimæ inspectione suas formabant conjecturas. Alios Augures, qui ex variis avium actionibus divinabant. In his præstigiis certi ritus, singulari studio observandi: Ariolum in loco sublimiori stare oportebat, & curvum manu baculum quem *Lituum* vocitabant, prætendere; quo certum spatium, quod *Templum* dicebatur, designabat, quo involaturæ aves, dictæ *Præpetes*, eorum quæ discere intendebant, signa proderent: illas autem aves, quarum cantus observabatur, *Oscines* appellabant. Plu-

Plurima etiam cum pullis instituebatur divinatio; qui si objectum pabulum avidè arriperent, ita ut pars à rostro recideret, optimi ominis augurium esse censebatur, dicebaturquê *Terripavium* vel *Tripudium Solistimum:* quod esca recidente solum tangeretur: Si verô refugerent, vel escam frigidê lentequê sumerent, mali imminentis augurium credebatur. Atq; hîc totum illud habes, quod vel emittebat, vel sistebat exercitus, quo universum Romanorum imperiũ nitebatur regebaturq; nefas enĩ erat his inconsultis Oraculîs magnũ aliquid suscipere.

Paucis absolvam: Numa Pompilius, præter eos, quorum meminimus Sacerdotes, Collegium octo Pontificum longê eminentioris ordinis instituit, quibus & alium eum absoluta potestate præfecerat, cujus, erant partes, quidquid ad Deorum cultum pertinebat, moderari & Sybillæ Cumeæ libros apud se depositos asservare. Erat hæc ex earum numero Virginũ quæ inter Idololatriæ corruptionem, morum innocentiâ, conservatâ, cælitus afflatæ, futura plurima, etiam de Messiæ adventu, & præcipuis vitæ ejus sanctissimæ Mysteriis ex vero prædixerunt. Sed caligabant ad tam radiantem veritatis Solem illæ noctuæ, nec arcana sub verbis latentia priùs cognoverunt, quâm diffusis per orbem universum Apostolis, & Evangelium prædicantibus, oculos tandẽ aliquado aperuerunt.

Et

Et hæc quidem de Romanis tantùm Sacerdotibus dicta ſunt, jisquè quos officii dignitas præ aliis ex vulgo plurimis commendabat; ex quibus colligere licebit, quã-tus eorum apud Græcos aliaſquê mundi nationes eſſet numerus.

Diodorus Siculus, Julius Cæſar in ſuis Commentariis, Strabo, aliiquê Authores multa referunt, de Druidis Gallorum Sacerdotibus, quorum erat tanta crudelitas, ut ad Deorum ſuorum aras plerumquè homines jugularent. Anno in occaſum vergente ſolenne illis erat gummi Jovi oflerẽdum ex quercubus magna cum reverentia conquirere, ad quam ceremoniam omnes invitabant.

Ad illos Juventutis inſtitutio pertinebat, debebantquè Adoleſcentes ad annos viginti ſub eorum vivere diſciplina, quod tempus impendebant ut plurimùm mandandis memoriæ quibuſdam verſibus, facultate ſcribendi prorsús interdictâ; nulli autem ad publica munia admovebantur, qui ab jis non fuiſſent inſtituti.

Cùm generalem conventum celebrabant, ſervabant illud, quod de ciconiis Plinius memoriæ prodidit, ultimò venientem in fruſta diſcerpebant, ut alios hac ſeveritate diligentiæ admonerent; hanc autem rabidã humani Sangvinis ſitim, Dæmonum propriam, non in ſuis modò Sacriſiciis, ſed in ſcholis etiam prodebant. Nã ut de aliis ta-

ceã,

ceam, Herophilus ex illa fæce insignis, cùm Anatomiæ artem traderet, suprâ septingentos homines, ad scientiæ experimentum, exenteràsse vivos memoratur.

CAPUT V.

De festis in honorem Deorum institutis.

ETHNICORUM festa cæteris superstitionibus respondebant, in quibus usitatæ cæremoniæ ea plerumquê repræsentabant, quæ Deorum erant propria, quemadmodum in prioribus libris notavimus, cùm de festis Cybeles, Bacchi aliorumquè ageremus. In festis Cereri consecratis huc & illuc cum ardentibus facibus discurrebatur, quia, ut ajebant, Ceres raptam Proserpinam filiam requirens, totum orbem hoc ritu fuerat pervagata. Hæc solemnia instituerant Eleusini Græciæ Atticæ populi, ad quæ celebrāda solæ mùlieres admissæ mille flagitia propudiosè perpetrabant: Quôd autem Ceres consilium suum nemini aperuisset, nisi postquam de filia certiorē nuntiū accepisset, nefas erat, quæ inter Sacra in templo acciderant ulli mortalium revelare.

Pudor ea referre prohibet, quæ Romanæ Matronæ in festis Veneri & Priapo sacris admittere non erubescebant. Pallas Dea militaribus ejusmodi festis delectabatur in quibus certarum Regionum Virgines inter se

se mutuò præliari non sine Sangvine cogebantur.

Lupercalia Romæ agebantur, Lupercis Sacerdotibus nudis per urbem cursitantibus, & caprinas pelles præferentibus; quod Romani sua olim pecora à latronibus, eos persequendo, recepissent, cùm intereâ Pani Sacrificium offerretur à Lupercis, qui à Lupercali, ubi templum Pani erectum fuerat, hoc nomen accepêre.

Saturnalia, in honorem Saturni Romæ instituta Mense Decembri ad multos dies peragebantur, inter quæ mutata tentisper sorte famuli Dominis imperabant, & ultrò citroquê munera mittebantur, non sine magna profusione, & rerum omnium perturbatione.

Græci hujusmodi Sacris erant addictissimi, Athenienses præsertim Panathenæis, Mimi, Athenienses præsertim Panathenæis, ut Eleusinos, aliosquê innumeros, prætercam.

Apis, sive Serapis, Ægyptiorum Deus, miris etiam festis colebatur. Bos erat certis quibusdam insignitus notis, quem certos etiam excedere vitæ annos non oportebat; Quibus expletis aquis demergebāt, magnoquê plāgabāt luctu: invēto autē alio priori consimili, publicâ omnium lætitiâ ludi & convivia celebrabantur.

Ita & aliæ nationes in honorem Deorum sibi propriorum, quos *Indigetes* vocabant, sua etiam festa consecrabant: quorum autem memo-

memoria ob res præclarê gestas per Apotheosim divinis honoribus consecrabatur, quiam *Indigetes* dicebantur, quasi rei nullius indigi.

Et Apotheoses quidem erant certi ritûs à Romanis instituti, quibus Imperatores suos in Deorum numerum referebant, Rosinus ex Herodiano hunc nobis ritum sic descripsit: Corpore demortui Cæsaris, ait ille, more aliorum sepulto, ejus ex cera effigies in eburneo thalamo magnificê exornato præ palatii foribus locabatur; illuc per dies septem Medici frequentes invisebant, agebantquè circa statuam omnia, quasi ipse Imperator æger decumberet: Electus intereâ primariis ex Senatu & Nobilitate viris luctũ habitu corporis testantibus cingebatur. Talibus cæremoniis præmissis, absolutisquê, tum priùs velut mortuus lugebatur; effigies autem in eum locum ferebatur, ubi dignitatibus se suis abdicare magistratus solent, deindê ipsi imperio successurus, ê suggestu, cui (Rostra navium in orbem ibi disposita, in memoriam victoriarum navalium, nomen dederunt) oratione funebri defuncti memoriam celebrabat. Cùm perorâsset, ibatur in campum Martium extra mœnia, ubi huic mortuo comburendo rogus erat ex lignis aromaticis extructus, quẽ Romanis equitibus Pyrrhichicâ saltatione circũcursantibus, novus Imperator accendebat, undè & subitò Aquila evolabat, quæ re-

rentis hujus Dei animam in cælos portare credebatur. Consecratione sive Apotheosi in hunc modum absolutâ, ad ludos & epulas se convertebant; dies autem ille quot annis solennibus Sacris, conviviisquè celebrandus, fastis accensebatur.

CAPUT VI

De Græcorum ludis in Deorum honorem institutis.

LUDI & certamina, quibus olim exercebatur Adolescentia, non ad formandos solûm ad bellum homines, & publicam lætitiam celebrandam, sed ad colendos etiam Deos, quorum Sacra per eos dies agebantur, erant instituta. Præterea mos obtinuerat exercitationes ejusmodi, Sacrificiis aperire. Imò in ipsis templis minores quidam ludi in usu erant, uti testatur Homerus, de iis loquens, qui in Minervæ fano aleam exercebant.

Palamedes, Latrunculorum ludum in obsidione Trojana dicitur invenisse, & milites docuisse, tum ut honestæ exercitationi indulgentes, otium malorum fontem excuterent, tum ut hâc ludicrâ concertatione ad manus seriò cum hostibus conserendas informarentur: sic lusus iste in ordinariam virorum illustrium recreationem transiit, abiitque in cæremoniam, in Deorum templis usita-

usitatissimam, alearum usu ad lixas tantùm & calones relegato.

Inter ludos & spectacula, præter symphoniam & organa musica, Decursiones in stadio primum sibi, præcipuumquè locum vendicabant, saltus secundùm, proximum Discus, sive globus ex lapide, vel metallo sphæricus magni ponderis, quem qui longiùs altiùsvè emisisset, palmam reportabat. Quartum Ludorum genus erat Lucta, cùm bini pro obtinenda laurea certaturi, nudis & inunctis oleo corporibus, alter alterum humi, prosternere nitebatur Quintum erat pugna ubi Athletæ, *Pugiles* dicti, lora ex bovino corio, quæ *Cæsium* appellabant, vibrantes pugnis inter se contendebant.

Ludi isti, quòd concertantes nudi essent, communi appellatione Gymnici appellabantur: locus, ubi exercebantur, Palæstra, qui autem præerant, Gymnastæ vocabantur. Qui quinque illa certaminum genera subjisset, Græcè *Pentathlos*, qui in aliquo vicisset, *Olympionices* dicebatur, qui in omnibus, *Pancratiastes*: quamvis non desint, qui hoc nomen aliter accipiant.

In quatuor publicis Ordinum omnium Conventibus, & Ludorum spectaculis, quæ tanta solemnitate statis temporibus olim in Græcia celebrabantur, supradicta ludicrorũ certaminum genera, per annos plurimos usurpata sunt.

Omnium tamen ludorum præcipui cele-
ber-

berrimique fuerunt Olympici, ab Hercule juxta urbem Olympiam Elidis provinciæ, in honorem Jovis Olympii instituti, in quibus victores, oleæ ramo coronabantur, quinto quoque anno celebrati.

Pythii deinde in honorem Apollinis, quòd Pythonem Serpentem sagittis confecisset, consecrati fuêre, ubi laurus præmium erat victoriæ.

Isthmii ab Isthmo Corinthi, ubi in Neptuni honorem à Theseo primum fuêre celebrati, nomen ducunt. Victores ex pinu coronam referebant.

Alii in Nemæa silva, undê & nomen traxerunt, in memoriam Herculis celebrabantur, quo ibidem infestissimus Leo fuerat interemptus. Alii his ludis occasionem, dedisse volunt Archemorum Lycurgi Regis filium; Historiam paucis complectar: Cùm Argi ad bellum Thebanum cum Adrasto Rege proficiscerentur, in Nemæam silvam delati tantâ aquarum penuriâ laborare cœperunt, ut Nutrix fontem sitientibus quæsitura, Archemorum puerum super Apio-herba deposuerit, qui â serpente interea vulneratus periit, Adrastus & reliqui belli Duces, ut Lycurgum patrem solarentur, in pueri memoriam Nemæos Ludos singulis quinquenniis repetendos instituerunt, volentes, ut certaminis Arbitri habitu lugubri interessent, & victores Apio coronarentur.

Tan-

Tandem poſt multos annos, præter quinque nominata certaminum genera, quæ Pancratium Græcè, Latinè Quinquertium dicebantur, inventa eſt Equeſtris & Curulis Decurſio ad metam in Hippodromo, qui ab aliquot ſtadiorum longitudine *Stadium*, & ab Ovali figura *Circus*, undè & *Circenſes* ludi vocabantur.

Circus, in quo ludi peragebantur hinc Alpheo flumine, illinc continua gladiorum in modum ſepis in cuſpidē exeuntium ſerie claudebatur. Repagula ſive *Carceres*, ubi curſores cum equis, & curribus ſignum ad certamen expectabant, lineâ plerumquè dividebantur, vel ducto fune prætendebantur, dato ſigno, in Palæſtrā toto impetu effuſi Metam versùs properabant, quæ in Obeliſci, vel columnæ figuram prominebat, debebatquè non tantùm attingi, ſed etiam ſepties circumiri, ut præmium referretur. Si bigæ vel currus ad metam, alioſve currus alliderentur, ingenti impetu dilacerabantur.

Qui equis decurrebant, præter illum, cuj inſidebant, alium ſæpē manu ducebant, tantâquè corporis agilitate & induſtria valebant, ut ex altero inſilirent in alterum; quā ob cauſam *Deſultores*, ſive *Deſultorii* vocabantur, eodem nomine ad Romanos derivato, qui animo erant in quamlibet partem volubili.

Viri eligebantur ſcientiâ clariſſimi (Hellenodicos dicebant) qui ejuſmodi concertationi-

tationibus cum potestate præficiebantur: eorum partes erant præmium adjudicare victoribus, & controversias nasci solitas sua auctoritate dirimere. Victores à popularibus in civitate suas per stratas murorũ ruinas magnâ pompâ excipiebantur.

Inter fortissimos temporum illorũ Athletas primi nominis fuère Milo Crotoniates, & Polydamas, ut de Arrchione nihil dicam à Philostrato inter Heroum tabulas relato, qui solo prostratus, etiam cùm animam ageret, adversarium confecit, & moriendo lauream reportavit.

Milo Taurum biennem humeris per totum stadii spatium portatum pugno occidit, totumquẽ eo die voravit. Malum granatum tanta firmitate, sine læsione fructûs tenebat, ut nemo posset eripere: lubrico saxo junctis pedibus insistentem nullâ vi quisquam loco movere poterat. Cùm autem nimiâ nervorum fiduciâ arborem in parte media hiantem diducere voluisset, brachiis hinc indè constrictis, & deficiente conatu retentus, lupis in prædam cessit.

Polydamas adhuc adolescens, Leonem in Olympo monte inermis aggressus, superavit. Taurum ingentem apprehensis extremis pedibus retrò sistebat, currum agitatum sese opponendo alterâ manu prehensum ex cursu retrahebat. De Valente Cæsaris Augusti Centurione propè eadem narrat Plinius in suis historiis.

Addam loco Periodi, Græcos in his Ludis, ac exercitation bus ita ad militiæ robur, agilitatem, & industriam instructos fuisse, ut exiguâ militum manu ingẽtes aliquando exercitus profligarent, quos in Græciam Persia immittebat ut in historia sancta, post res gestas Danielis, & Zorobabelis recensitas meminimus.

CAPUT VII.

De spectaculis Romanorum.

PRÆTER alias Nationes, quæ instituendis spectaculis Græcos imitatæ sunt, Romani primo loco numerantur, qui propterea varios Circos erexerant, quorum celeberrimus fuit, quem tria stadia longitudine complectentem Tarquinius Priscus extruxit.

Hunc Julius Cæsar sumptuosis ædificiis exornatum pulcherrimis aquarum ductibus quos Euripos nominabant, per gyrum cinxit. Tantæ autem erat amplitudinis, ut quantumvis numerum spectantium commodè teneret in sedilibus sensim elevatis sub triplici porticuum ordine, uno post alium in collis modum ita assurgente, ut qui ante sedebant, retro sedentibus non officerẽt. Primam porticum Magistratus, alteram Equites, tertiam vulgus occupabat, non promiscuè, sed per curias suas distributum.

Locus palæstræ uti proximus, ita & ad spe-

ſtandum commodiſſimus erat Orcheſtra, cujus frontem *Podium* locus cæteris eminentior occupabat, ubi Imperator ſuo in throno conſpicuus, videbatur: ad Orcheſtram ſoli cum Tribunis plebis & Veſtalibus, Senatores admittebantur: præ reliquis tamen, qui ludos inſtituerat, in eoſquè ſumptus ſuffecerat, & dicebatur *Editor, Munerarius, Agonotheta*, ſive *Brabeata* Præmium victoribus conſtitutum *Bravium* vocabatur.

Sub Imperii naſcentis initia ſoli Reges erant Agonothetæ, Prætores deindè ad hanc admiſſi dignitatem: tandemquè firmato Imperio, non Imperatores modò, & Conſules etiam, aliiquè Magiſtratus provinciam ineuntes, populi benevolentiam ſimilibus ſpectaculis venabantur.

Tanta ad hos ludos aviditate populus Romanus ferebatur, ut quandoquè triduum integrum ſomni cibiquè propèmodum obliti illic hæſerint; quanquam & qui ludos procurabant, inſtructis etiam in commune epulis populum quandoquè recrearent.

Ludorum apud Romanos major ſemper fuit magnificentia, quàm apud Græcos, licet hi ad ſuos Olympicos ex omni hominũ genere, ac ordine frequentiſſimi convenirent, nequè unquam tanta fuit in Agone glorioſe decertantium, ſpectantiumq; multitudo, nequè tantus ornatus ac ſplendor in Græcia, quantus Romæ ſpectabatur, maximè propter pompam exquiſitiſſimã quâ ludos auſpicabantur.

Priusquam enim ad ludos veniretur, per stadium longo ordine portabantur Deorum virorumquè illustrium statuæ, sequentibus magno numero curribus, in quibus præter relata ab hostibus spolia, prætiosissimi reip: thesauri visebantur. Succedebant ritu supplicantium in pulcherrimos ordines distributi Sacerdotes, Augures, & Pontifices, qui Deo, vel alii pro festorum differentia, Sacrificia offerebant.

Sæculares Ludi post centesimum annum recurrentes magno celebrabantur apparatu; Præcone per totam Italiam ad ludos invitante, quos nec vidissent unquam, nec ampliùs essent visuri.

Temporum successu plurima ad pompâ & splendorem spectaculorum à Romanis adjuncta sunt; Nam præter Gymnica certamina & decursiones Equestres, & Curules, inventa est ludicra Gladiatorum pugna, cum Naumachiis, seu ratibus fluitantibus, & venationibus omnis generis animantium institutis. Ad hæc exhibenda magnæ molis Amphitheatra erexerunt, quorum figura Ovali haud absimilis, in varios graduum ordines distingvebatur, ubi sedebant spectatores.

Spectacula in medio Amphitheatri habebantur, quem locum *Arenam* vocabant, ab arena, qua pavimentum tegebatur, ut effusus sangvis faciliùs ab aspectu moveretur. In Amphitheatrorum cavernis belluæ ad cer-

certamen, vel aquæ ad pugnam navalem, educendæ servabantur. Reliquæ ædificii partes fornicibus implebantur, & scalis, per quas ad porticus accedebatur, quarum exitus *Vomitoria* dicebantur, quòd confluēs multitudo sese illâc ludis absolutis glomeratim effunderet. Qui locum ad spectandum non habebant, quia in variis angulis stare cogebantur, *Excuneati* dicebantur.

Vespasianus Imperator lapideum Amphitheatrum ædificari jusserat, à Tito ejus filio postea absolutum, tantæ amplitudinis ut centena millia sedentium, stantium verò viginti millia caperet.

Inter spectacula in Amphitheatris exhiberi solita primum erat Gladiatorum, qui legibus iniquissimis, & ab omni humanitate alienis coacti, vel propria libidine acti, instigante Dæmone, more duellantium nostri temporis, mutuis sese invicem vulneribus ad oblectandum populum conficiebāt. Hæc immanissima laniena in demortuorū funeribus primum usitata, successu temporis in consvetudinem abiit adeò, ut quô quisque potentior erat, qui spectaculū præbebat, secundùm occasionum varietatem, centeni, & amplius in arenam descenderēt, eoquè tandem crudelitatis ventum est, ut ex Imperatoribus Romanis, alii mille, alii ad decem millia gladiatorum ad hanc carnificinam, quæ plures aliquando dies tenebat, producerent.

Erant ejusmodi ut plurimùm mancipia, & mediastini, qui primum Lanistæ, id est, artis gladiatoriæ magistris instituendi tradebantur, *Batualia* erant locus, ubi sese exercebant ense obtuso sive *Rude*; quam actionem exprimentes dicebant *Rudibus bátuere*.

Porrò non unum erat gladiatorum genus: nam alii nudo tantùm gladio, & scuto decertabant: alii erant toto corpore cataphracti: alii *Andabatæ* dicti, velatis oculis manus conserebant: alii Retiarii, quòd reti ad antagonistam, implicandum uterentur; quo quicunquè involveretur mortem nulla poterat ratione effugere: alii Myrmillones, qui piscem gerebant in galea.

In Gladiatoriam sese etiam Pumiliones seu nani ingerebant, qui quamvis forent ex infima hominum sorte, reperti sunt tamen ex Romanis Equitibus, & Senatoribus, imò & ex ipsis Imperatoribus, qui suæ dignitatis adeò obliti, ut cum infami illa perditissimorũ colluvione spectacula proponerẽt.

Victor antagonistam plerumquè occidebat, nisi spectatores complicato pollice vivum servari postularent: uti contra signũ condemnationis erat, cum erectum pollicem ostendebant. Antiqui Galdiatores, quique suam in variis certaminibus fortitudinem atque industriam probaverant, in signum oblatæ libertatis Rude donabantur.

Eorum

Eorum merces *Authoramentum* dicebatur; undè qui pecuniam acceperat, & jusjurandum ad digladiandum præstiterat *Authoratus*, qui verò promissum exsolverat *Exauthoratus* vocabatur.

Spectaculorum jucundissimum, sive in Circo, sive in *Amphitheatro* erat ferarum venatio. Centum aliquando Struthiocameli, & plures Leones in arenam educebantur. Titus Imperator produxit quique millia ex triginta belluarum generibus, ut Leonum, Elephantorum, Ursorum Taurorum, Aprorũ Rhinocerotum, Pantherarum, &c. Aliquando feræ inter se præliari permittebantur; aliàs homines, ad funestam illam concertadi artem instituere, cùm belluis committebantur, aliàs etiam nudi objiciebantur lacerandi; ut de plurimis Christi-Martyribus legimus. Nonnunquam stupendo artificio tota Amphitheatri facies in silvam amœnissimam convertebatur, ubi discurrentes aliæ aliô belluæ gratissimo oculos spectaculo delectabant: Interea ex secretis canalibus, ex omni odorum genere suffitus exhalabatur, qui omnes mira svavitate demulcebat Aliquando etiam per varia *Pegmata* sive occultas quasdam machinas, urbes, incendia, conflictus uno momento parebant disparebantquê. Nihil de velis dicam linteis sericisve immensæ magnitudinis, quæ in ãëre ad solis radios refringendos tendebantur. Nihil de Schedulis, & pilulis, quas Imperatores

 tores

tores ad magnificentiæ ostentationem jaciebant, quas qui feliciter collegisset, in iis signatum legebat præmium, quod erat repræsentatâ Schedâ accepturus. Quo in genere Titus tam profusus fuisse memoratur, ut in ludis, quos aliquando Romanis præbuit, octoginta milliones expenderit.

Exhibebantur præterea in Amphitheatro ludi navales, & confligentium inter se biremium ludicri concursus, quæ super aquas, speciem quandam maris referentes, ex occultis eductas canalibus, velis remisque summa contentione agitabantur. Nonnunquam immani sumptu, pudendoquê luxu, aquarum loco, vinum inducebatur, navium ferendarum capax, earumquè conflictûs. Nec deerant, qui personas agerent, Tritonum, Sirenumquê suavissimo vocum concentum cantantium, & mira corporum agilitate saltantium. Veros aliquot Cetos, aliaquê id genus marina monstra ad spectaculum produxêre.

Alia prorsus erat Theatri, quâm Circi ac Amphitheatri facies, si gradus sedentium & subsellia exceperis; Theatrum enim erat locus, Ludionibus, & Mimis, hominum mores ridicula gesticulatione imitantibus, Sannionibus, atquê Circulatoribus ad quamvis simulandam personam & præstigias, & scurriles nugas idoneis. Musicis item sed Comœdis maximè, & Tragædis propriè destinatus.

Sce-

Scena theatrorum, ſive pars illa, quæ â fronte videbatur, tabulis conſtabat verſatilibus, & per occultos cardines reductilib9; ut mutari repente ſcenæ facies exterior poſſet, pro mutationum varietate, quam res, quæ agebatur, poſtulabat. Scena comica privatis ædibus haud erat abſimilis; Satyrica verô mira hinc montium & vallium, indè fontium, ſpecuum, fluviorumquè amænitate, ſpectantium oculos oblectabat.

Narrat Plinius, quanta operis magnificentiâ Scaurus theatrum excitârit: Cujus luxum & ſplendorem cum adæquare Curio non poſſet, exquiſitiſſimi artificii opere ſuperavit. Theatra duo molitus eſt, ex cardinibus ſuſpenſa, quæ cum univerſa ſpectantium multitudine, cujus erant capacia, in Ampitheatri formam vertebantur. Pompejus uti rerum geſtarum gloria & magnitudine, ita & ſplendore Theatri nulli Majorum conceſſit, quod Veneri conſecratum, templo inſuper eidem dedicato, exornavit.

Sed in ludis iſtis in Deorum honorem potiſſimùm inſtitutis nihil honeſtum, nihil pudicum agebatur. Neque enim ſolùm res â ſe fortiter geſtas, ſed helluationes & ganeas, & propudioſa quæque flagitia, & quidquid amentes libidine in tenebris patraverant in publicam theatri lucem producere non erubeſcebant: Quidquid autem in Circo, vel Amphitheatro repræſentabatur,

 tur,

tur, mera erant immanissimæ crudelitatis exempla, quæ spectantium animos ad omnem inhumanitatem efferarent. Hoc splēdore Stygius veterator homines fascinabat, excœcatisque eorum oculis, ne Religionis suæ turpitudinem aliquando agnoscerent, apertum tenebat vitiorum omnium Gymnasium, & pudenda Deorum, quos colebant, flagitia, velut illustria facinora, & festivos lepores imitanda proponebat.

Cæterùm, postquâm rerum tam detestandarum Historiam retexuimus, quas veri DEI ignorantia, aliaque scelera in orbem induxerant, eam meliori claususa coronare non possumus, quàm *JESU Christo* Domino nostro honorem, & gloriam tribuendo, & Crucem triumphatricem, adorando, cujus unius virtute monstra illa omnia impietatis, gloriosissimè confecit, & cum debita gratiarum actione infinitam ejus bonitatem celebrando, quâ ex abysso tam execrabilium errorum mundum liberavit, ut initio hujus operis præfati sumus. Dignum enim & justum est, ut qui Historiæ nostræ principium fuit, idem sit &

FINIS.

IN-

INDEX CAPITUM

PRÆFATIO.

De DEORUM INANIUM ET IDOLOLATRIÆ ORIGINE.

LIBER PRIMUS.

De Diis Ethnicorum majoribus.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

Hiſtoria Semi-Deorum Antiqvorum fol: 44.

PRÆFATIO.

LIBER

LIBER TERTIUS.

De Honoribus quos Ethnici Diis suis exhibebant.

PRÆFATIO.

INDEX

INDEX RERUM.

Alba

Bac-

Cor-

Ete-

Nu-

Pelias.

Rhesus

So

The-

Vestales.

FINIS.